4

PHILOSOPHIA DE CAVSIS IN COMMVNI, ET INSPECIE,

QVAM

IN CELEBERRIMA, CÆSAREO-Auſtriaca Vniverſitate Friburgenſi Briſgoica

PRÆSIDE

P. ANDREA FEVR.

STAIN SOC. IESV, PHI-SOPHIÆ PROFESSORE ORDINARIO.

Publicè propugnabit

Ornatiſſimus & doctiſſimus D.

IOAN. ANDREAS SPECKHNER

Friburgenſis Briſgoius, AA. LL. & Philoſophię Baccalaureus, Metaphyſicæ ac Matheſeos Studioſus.

Anno M. D C. L X X V. Menſe Iulio

FRIBVRGI BRISGOIÆ

Excudebat Io. Iacobus VVehrlin.

REVERENDISSIMO, ET AMPLISSIMO PRAE. SVLI, AC DOMINO DOMINO

ROMANO

CELEBERRIMI, AC PERANTIQVI MONASTERII AD S. TRVDPERTVM IN HERCYNIA SILVA ORDINIS S. BENEDICTI

ABBATI

VIGILANTISSIMO, MERITISSIMO &c. DOMINO ET PATRONO MEO GRATIOSISSIMO.

PRima *semper in arena philosophicam descendentium sollicitudo fuit*, Præsul Reverendissime & Amplissime, *de benig-*

benigno Thesibus suis patrocinio provide-re. Idem ego hodie præstiturus, cùm æ-quali in articulo constitutus oculos meos studiosiùs emitterem, ultrò sese eisdem Amplitudo Tua, *munificentiæ suæ splen-dore, ita liberaliter infudit, ut pleno in meridie, apertis etiam oculis cæcutire, meritò judicarer, si de auspiciis certami-ni meo comparandis amplius hæsitarem. Quod libellus iste Hercyniam usque ad silvam perveniat, morem ille ceterorum ex Alsatia & Brisgoia fugam molientium imitatur; causas fugæ suæ, & quaternas quidem, prima statim in fronte cuique manifestat: belli scilicet infelicem aleam, fœcundam ærumnarum effectricem, & eruentam omnis calamitatis parentem, quæ, cùm finem suum (quietam Pacis O-livam) ad hodierna usque tempora nun-quam sit consecuta, universam longè la-téque adjacentem sibi materiam, miserri-mâ planè ruinæ formâ turpissimè infor-*

mat

mat & deformat. Quod verò Dispura-
tio mea Cœnobium *quoque* Tuum *ingre-*
diatur, repulsam non veretur; novit e-
nim literas tecum omnes magnificè habi-
tare, & omnes admitti conspexit, qui eo
nomine accedunt, ut eruditum ostium
Tuum *pulsent. Quare autem ad* Re-
verendissimam Amplitudinem Tu-
am *Philosophia mea, sive rationalis sci-*
entiæ aditum præsumat, splendorem illa
à Sapientia Tua (*quæ Te virtuti & do-*
ctrinæ maritatæ ad Abbatiæ fastigium ex-
tulit) *tanquam à causa longè illustrissi-*
ma non vulgarem expectat. Suscipe
igitur, Præsul Vigilantissime, *clientis*
tui ignobilem licèt partum, eâ largæ vo-
luntatis Tuæ *beneficentiâ, quâ parentes*
meos & me munificentissimè semper com-
plexus es; intuere illas eâ magnifici vul-
tûs Tui *liberalitate, qua universos cir-*
cumcirca, ad decimum jam annum Ab-
bas, *tutelæ* Tuæ *subjectos gratiosissimè*

DEDICATIO.

ſuſpexiſti. Annue illis, tanquam gratæ animi ſignis. Ego pro gratia iſta Amplitudinem Tuam *meis parentibus & mihi cupio immortalem.*

Reverendiſsimæ & Amplißimæ Dominationis Tuæ

Devotiſſimus Cliens & Servus

Ioan. Andreas Speckhnerr.

APPROBATIO THEOLOGICA.

THeſes iſtæ Philoſophicæ de Cauſis doctrinam ſolidam continent, & fidei ac bonis moribus per omnia conſonant: proinde dignæ ſunt, ut in concertationem, & lucē publicam prodeant.

Ita cenſet

Iac. Chriſtophorus Helbling
SS. Theol. D. A. & Profeſſor
ord. nunc eiuſd. Facul. Decanus.

APPRO-

APPROBATIO PHILOSOPHICA.

Disputatio hæc Philosophica universas de Causis difficultates pertractat, propositásque quæstiones perspicuâ claritate eruditè ac solidè dissolvit; lucem proinde & arenam publicam jure meritissimo sibi vendicat.

Ita censeo

Iodocus Knab Soc. IESV Phil. Profess. ordinarius, & eiusd. Facultatis nunc Decanus.

DE CAVSA IN COMMVNI.

§. 1. *Quid & quotuplex sit causa in communi?*

DIco 1. Causa latè sumpta est principiũ entis limitati. Sic in re omnes, his duobus requisitis cõtenti, 1. ut causa sit principium, hoc est, ut determinet vel conducat ad existentiam alicuius; sic omnia, quæ se tenent ex parte actûs 1. cùm sint priores natura, causæ nuncupari possunt, v. g. causæ morales, dispositiones, conditiones &c. 2. ut illud, quod producitur, sit ens defectibile vel indifferens ad existendum. Sic Deus Pater nõ est causa sui Filij Divini, juxta symb. S. Athanasij, geniti non facti; nam factum, causatum vel creatum esse, dicit aliquam imperfectionem, ut bene adverterunt Patres Latini.

Causa verò physica vel strictiùs sumpta est,

est, quæ ex virtute intrinseca producit ens limitatum, hoc est, quæ est principium vel realiter & immediatè productivum, ut causa efficiens & materialis extrinseca ; vel constitutivum, ut materialis intrinseca, & formalis ; vel ultimatè motivum ad sui productionem, ut finalis.

Dico 2. licet variæ dentur causæ ex triplici capite ortæ. 1. ex diversa entitate causæ: sic datur causa 1. nempe Deus, & secunda sive creatura. 2. ex diversitate vel copia effectûs ; sic datur causa univoca, h. e. si effectus sit ejusdem rationis cum causa, & æquivoca, si diversæ. Universalis & particularis: prior plurimos & diversos producit effectus, ut Deus, Sol: posterior paucos respectivè. 3. ex diversitate influxûs: sic datur causa libera, necessaria ; adæquata, inadæquata ; physica, moralis ; remota, proxima ; intrinseca, extrinseca &c. Licet inquam dentur variæ causæ, Aristoteles tamen causam divisit in 4. genera ; nempe in causam propter quid, ut est finalis ; à quo, ut efficiens ; ex quo, ut materialis, & per quid, ut formalis. Rationem dat Philoso. phus, quia sicut prædictis 4. modis omnis causa inquiritur, sic per eosdem responderi solet, ergo divisio Philosophi mala non est ; præsertim cùm omnes reliquæ causæ ad hæc 4. genera reducantur, v. g. dispositiones, conditiones, &c.

Ob.

Objicies 1. luxta allatam definitionem Deus Pater videtur esse causa Filij; quia Filius est ens essentialiter ab alio; non enim habet prædicatum Aseitatis: ergo non habet omnem perfectionem, adeóque est ens limitatum R. licet Filius sub ratione filiationis essentialiter sit ens ab alio nempe à Patre Divino; Filius tamen, quia realiter est ipse Deus, & sub ratione Deitatis est ens à se existens, & infinitæ perfectionis; ideo Pater Divinus non potest dici causa Filii, realiter infiniti.

Objicies. 2. cognitio vel volitio Divina circa contingentia est indifferens ad existendum: ergo est limitata: ergo Deus est causa suæ cognitionis & volitionis circa contingentia vel libera versantis. R. cognitionem vel volitionem Dei circa contingentia (si Deo sit adæquatè intrinseca) esse realiter ipsum Deum, & consequenter quoad prædicatum absolutum esse necessarium, licet quoad esse relativum sit contingens. Et hoc in certo sensu tam parum videri debet parodoxum, quàm eandem cognitionem creatam esse posse claram & obscuram, sive actum scientiæ, fidei vel opinionis: quidquid sit de difficultate cognitionis & volitionis divinæ, viderint Theologi, semper cum catholica fide defensuri in re virtualiter distincta sive

in Deo verificari posse prædicata de se contradictoria v. g. generari & nō generari, spirari & non spirari, ergo poterit eadem cognitio dici contingens & non contingens.

§. 2. *Quid sit virtus causæ, & an Causa in actu 1. constituatur per possibilitatem actionis?*

Dico 1. Virtus causæ est ipsa aptitudo, vel potentia cujuscunq; rei, potentis producere effectum limitatum; quæ potentia realiter identificatur cum entitate causæ. Prob. 1. quia illud est vis vel virtus causæ, quod est ipsum posse causare, sed posse causare est ipsa entitas causæ (ut probari posset inductione) ergo entitas causæ est virtus causæ. 2. quia causa per hoc differt à conditione, quòd causa habeat virtutem, meritum vel bonitatem propriam, secum identificatam: conditio verò habeat alienam, ergo. 3. quia sicut potentia materiæ, qua recipit formas, realiter non distinguitur ab ipsa materia, sic potentia vel virtus causæ aliquid producendi non debet realiter distingui ab ipsa entitate causæ; prius est verum, ergo &c. Si causa vel virtus causandi omnibus ad agendum requisitis instructa sit,

voca-

vocatur causa completa, vel in actu primo proximo sive completo ; sin minus, dicitur incompleta vel in actu 1. remoto.

Dico 2. Causa in actu 1. non constituitur per possibilitatem actionis. Prob. 1. quia causa in actu 2. physico constituitur per actionem sive causalitatem : ergo causa in actu 1. physico (cùm juxta omnes sint duo realiter diversa tota) per illam formaliter constitui non potest ; præsertim si inter rem possibilem & existentem nulla detur realis distinctio. 2. quia causa in actu 1. etiam completo plus non dicit quàm posse causare : sed posse causare est ipsa aptitudo vel potentia causæ realiter indistincta ab entitate causæ; ergo causa in actu 1. formaliter non constituitur per actionem possibilem , aliàs omnipotentia Dei formaliter constitueretur potens per creaturas sive actiones possibiles à Deo (ut hîc supponere licet) realiter distinctas. 3. quia sicut visio formaliter non constituitur per murum , aut potentia visiva per ipsam visionem ; sed per respectum essentialem ad murum : sic causa in actu 1. vel potentia causæ non constituitur per ipsam actionem , sed per respectum ad illam : prius concedunt Advers. ergo. Confirmatur : quia si possibilitas actionis esset pars actûs 1, tunc etiam possibilitas

effectûs esset pars, quod admitti non solet. licet enim cognitio possibilitatis effectûs possit esse pars actûs 1. non tamen ipsa possibilitas effectûs est pars: ergo.

Obi. 1. Res in actu 1. & 2. includit easdem partes; equus enim in actu 1. sive possibilis, & equus in actu 2. hoc est, existens includit easdem partes nempe animal hinnibile: ergo causa in actu primo includit actionem possibilem, quia causa in actu 2. includit actionem actualem. R. distinq. antecedens: res in actu 1. & 2. logico includit easdem partes essentiales, cõcedo; in physico, nego antec. & conseq.

Obi. 2. causa in actu 1. constituitur per causalitatem in actu 1. sicut causa in actu 2. per causalitatem in actu 2. hoc est actionem actualem: sed causalitas in actu 1. est actio possibilis, sicut causalitas in actu 2. est actualis actio: ergo causalitas in actu 1. constituitur per actionem possibilem. R. causa est quidem terminus concretus in recto dicens ipsam entitatem causæ, in obliquo verò causalitatem, quæ tamen in actu 1. nil est aliud quàm ipsa aptitudo causandi, adeóq; concessa majore, nego vel distinq. min. causalitas causæ in actu 2. logico hoc est, physicè existentis & in actu primò physico, h.e. causæ tantùm potentis producere effectum

est

est actio possibilis, nego. Causalitas causæ in actu 1. logico existentis consideratæ tamen quod actum 2. physicum, sive quoad illius prædicata essentialia est actio possibilis concedo min. & sic distincto consequente nego consequentiam.

Ob. 3. cum quodā docto Recent: vel possibilitas actionis cōstituit actū primū, vel impossibilitas actionis constituit actū 1. sed impossibilitas actionis nō constituit actum 1. ergo impossibilitas constituit, quia ex contradictoriis alterutrum debet esse verum. R. licet possibilitas & nō possibilitas actionis in se quoad naturā & existentiam sint æquè contradictoria, quàm effectus & negatio illius; nulla tamen est contradictio quoad constitutionem actûs 1. quia utraque propositio majoris est affirmativa, & est de subjecto non supponente. Vel si iste modus argumentandi valeret, tunc omnis res vel negatio illius constitueret actum 1. cujuscunq; causæ.

§. 3. *De existentia & causalitate Causæ.*

DIco 1. Causa in eo instanti, quo physicè influit, debet actu existere. Prob. 1. quia nulla res potest dare, quod non habet: ergo causa physicè vel realiter aliquid producens debet realiter existere; aliàs da-

ret alteri existentiam cùm tamen ipsa nullâ haberet. 2. quia si res immediatè antea existens v. g. si prima verba aut forma baptismi, posset physicè influere in gratiam producendam, non esset ratio, cur non aliquid jam pridem annihilatum posset esse causa physica, u. g. Bucephalus Alexandri M. posset hodie hinnire: canis mortuus posset latrare: sed hoc videtur ex terminis absurdum: sequela probatur: quia tempore productionis unum tam parum habet suum esse quàm alterum, ergo. 3. quia ubi nulla est virtus productiva, ibi non potest dari productio: sed in eo instanti, quo causa non est, nulla est virtus productiva; causa enim & virtus productiva identificantur: ergo.

Dico 2. Causalitas causæ est ipsum actuale exercitium vel forma, per quam causa constituitur actu causans; sive est formalis influxus aut determinatio, vi cujus hic numero effectus dependet & connectitur determinatè cum hac numero causa. Sic sentiunt omnes, & est quæstio de impositione & usu nominis. ergo. Hæc forma vel causalitas est varia pro ratione causarum: quoad causas intrinsecas assignatur unio: quoad extrinsecas, si sint strictè physicæ, actio suas causas essentialiter respiciens: si morales tantùm sint, illarum

rum causalitas est quædam motio moralis, de quibus infra.

Obi. 1. Causa moralis & finalis quando actu causant, non debent actu existere: ergo idem dici potest de causa physicè influente. R. concedo anteced. nego conseq. & paritatem: quia causa moralis & finalis existunt intentionaliter & causant mediante cognitione per aliam causam physicam existentem: sed hoc dici non potest de causa physica, nullam aliam causam physicam supponente.

Obi. 2. unum corpus non debet esse in eodem loco cum illo, in quod agit, sed sufficit contiguitas: ergo etiam sufficit contiguitas temporis. R. concesso anteced. nego consequent: quia impossibile est, ut aliquid realiter agat, quod realiter nihil est; aliàs ageret & non ageret: ageret ut supponitur; & non ageret, quia quod non est, hoc non est: ergo hoc non est agens, quia prius est rem esse, quàm operari. Quòd autē res existat vel agat in uno vel plurib' locis, nulla sequitur contradictio: ergo.

Ob. 3. sicut aliquid, quod antè fuit, moritur vel potest mori; sic aliquid, quod antè fuit, potest agere: ergo. R. nego sequelam vel paritatem; quia Tò mori est non vivere & non agere: sed ad hoc nulla requiritur virtus aut existentia: ergo.

§. 4. De discrimine inter causam physicam & moralem; inter moralem & conditionem.

Dico 1. Causa propriissimè physica sive extrinseca nempe efficiens & materialis sustentativa est principium, quòd ab actione entis limitati sub prædicato actionis immediatè, determinatè & indispensabiliter respicitur ut aliunde existens: bonitas conclusionis habetur ex eo, quia sic omnia, quæ non sunt causæ physicæ excluduntur, & 1. quidem per actionem entis limitati excluditur Deus Pater respectu Filii divini. 2. per Tò sub prædicato actionis, productionis vel effectionis excluduntur actus intentionales v.g. cognitiones & volitiones sub alio prædicato v. g. repræsentationis sua objecta & causas morales essentialiter respicientes. 3. per Tò determinatè excluditur decretum Dei; licet enim actio, qua talis essentialiter præsupponat vel respiciat decretum Dei, non tamen respicit hoc determinatum. 4. per Tò immediatè excluduntur causæ remotæ. 5. per Tò indispensabiliter excluduntur causæ morales & dispositiones, sine quibus Deo difficile nō foret effectum producere. 6. per Tò aliunde existens excluditur causa finalis, quæ licet ab actione respiceretur essen-

tialiter

tialiter determinatè & immediatè, non tamen aliunde exiſtit. Diſcrimen itaque cauſæ phyſicæ à cauſa morali in eo conſiſtit, quòd actio realiter non procedat à cauſa morali, neque illam immediatè determinatè & eſſentialiter reſpiciat.

Dico, 2. licet quandoque cauſa moralis confundatur cum conditionibus, diſpoſitionibus & cauſa finali; cauſa tamen moralis magis propriè dicta eſt illa, quæ aliunde exiſtens ex propria virtute bonitate vel merito movet cauſam efficientem ad effectum producendum: conditio verò movet ex merito vel virtute aliena hoc eſt, conditio eſt tantùm applicativa virtutis ſicut eſt approximatio. Ita omnes ſentire videntur: Res tota pendet ab inſtitutione vel uſu vocis: ergo. Si conditio realiter & actu exiſtat, vocatur conditio phyſica: Si jam extitit, vel ſi prævidetur, independenter à productione effectûs exſtitura, dicitur conditio moralis.

Ob. 1. Omnis actio eſſentialiter & determinatè reſpiciẽs cauſã, hanc reſpicit immediate: ergo malè additur particula immediatè. R. Nego: quia anima poteſt eſſe cauſa remota & ſic moralis reſpectu ſpecierum impreſſarum ab actibus intencionalibus productarum: actio verò productiva ſpecierũ imediatè reſpicit cognitionẽ

tanquam suam causam physicam; cognitio verò cùm sit realiter ipsa actio, essentialiter & immediatè respicit animam, ergo bene saltem claritatis causâ additur immediatè.

Ob. 2. Conditio ex proprio merito sæpe causam movet, quia occasio, quæ est conditio, facit furem: ergo. R. licet remotis impedimentis aliàs furtum prohibentibus furax homo magis incitetur vel moveatur ad iniustam rei alienæ ablationem, non tamen sequitur hîc conditiones hoc est, removens prohibens sive negationes rerum aliàs impedientium habere propriam & realē bonitatem finaliter motivā, ut per se patet. Interim non nego, quòd cadē res, quæ respectu unius causę est cōditio, respectu alterius possit esse causa moralis, pro diversa tendētia & æstimatione operantis.

§. 5. *Quid & quoruplex sit prioritas, & qualis ad causandum requiratur?*

Dico i. prioritas in genere & posterioritas consistit in additione & consecutione unius ad aliud: prius enim est illud, quod alteri non additur, sed ipsi additur aliud: posterius verò est illud, quod alteri additur. Ita Perezius, Maurus & alii. Prob. 1. quia ultimū dicitur illud, quod ita addi-

cus

tur alteri, ut ipsi nullũ aliud addatur: ergo illud est prius, cui aliud additur, & quod additur est posterius. Probari posset 2. ex variis prioritatibus; quò enim magis creaturæ accedunt ad primum tempus, ad perfectionem, dignitatem, vel existentiam Dei, eò sunt priores tempore, dignitate vel natura.

Dico 2. multiplex dari potest prioritas: datur enim prioritas temporis, ordinis, intentionis, executionis, dignitatis, rationis, illationis & naturæ: prioritas temporis habetur à serie durationum, qua quis propinquior est primæ durationi, vel qua quis durat ante alterum. Ordinis prioritas consistit in collocatione rei quoad locum: sic exordium est prius epilogo, & sedens in capite mensæ est ordine vel loco prior reliquis assidentibus. Dignitatis desumitur ab officio vel perfectione essentiali aut accidẽtali: sic sacerdos est prior laico, angelus homine; Sanctus peccatore. Intentione prius est, quod magis intẽditur: sic finis est intentione prior suis mediis. Executione, quod priùs efficitur, ut mediâ respectu finis. Prioritas rationis habetur à nostro cõceptu v.g. inter 2. realiter identificata, quorum unum se habet per modum causæ vel essentiæ metaphysicæ, & alterum per modum effectûs vel proprietatis metaphy-

taphysicæ : sic rationale est prius risibile. Si unum inferri possit ex altero, vel si unum sit affirmabile, altero non affirmato, sed non viciſſim, tunc inter illa 2. dari dicitur prioritas illationis ſive à ſubſiſtendi conſequentia : Sic prædicatum ſuperius v. g. animal eſt prius prioritate illationis, quàm prædicatum bruti. Prioritas originis propriè loquendo convenit illi tantùm, quod eſt actualis poſitio alterius ; ſic actio eſt prior ſuo termino : ſic Deus Pater dicitur origine prior, quia pater eſt actualis vel activa generatio Filij. Per prioritatem naturæ nil aliud intelligitur, quàm prioritas cauſalitatis effectum cum cauſa coniungentis. De qua poſtea.

Dico 3. licet in omni cauſa concipiamus aliquam præcedentiam vel prioritatem ; ad eſſentiam tamen cauſæ non requiritur prioritas temporis, quia Sol eſt cauſa lucis in primo inſtanti ſecum exiſtentis ; non ordinis, quia cauſa v. g ignis ſuprà infrà antè & retrò effectum producere poteſt : non prioritas dignitatis, ut patet in cauſa univoca : non prioritas illationis, quia ſæpiſſime nec effectus ex ſua cauſa, nec cauſa ex effectu eſt inferibilis, licet ratione

tione actionis determinatæ utrumque inferri possit : non mera prioritas rationis, quia hæc dari solet inter identificata : non prioritas intentionis, non executionis, quia aliàs media v.g. medicina non esset causa finis nempe sanitatis, nec finis esset causa mediorum, quia neutrum habet utramque prioritatem, ergo.

Dico 4. In causis diversis datur & requiritur diversa prioritas ad causandum. In causa finali datur & sufficit prioritas intentionis. quia primò intenditur finis, & ultimò per media à fine causata obtinetur. In causis intrinsecis datur prioritas illationis, quia ex toto licet inferre quamlibet partem, sed non vicissim. In causis extrinsecis jam aliunde suam existentiam habentibus independenter ab actione productiva effectûs, datur prioritas naturæ.

§. 6. *Quid sit prius naturâ, & an aliquid tempore posterius possit esse prius naturâ?*

Dico 1. illùd est prius naturâ, quod aliunde existẽs alterũ determinat ad existendum

dum. Sive quod est ex parte actûs 1. proximi, vel quod aliunde existens ab actione limitata respicitur, intelligevel immediatè, ut causæ strictè physicæ, vel mediate, h.e. mediante decreto Dei, ut causę morales & conditiones. Sic in re cõmuniter omnes cõveniunt, hæc tria ad prioritatẽ naturæ requirentes. 1. ut inter causam & effectũ detur connexio. sive ut causa juvet ad productionẽ effectûs 2. ut illud, quod dicitur prius suam existentiã nõ habeat à productione effectûs 3. ut productũ sit ens limitatũ.

Dico 2. aliquid tempore posterius potest esse priusnaturâ. Probatur 1. quia merita Christi, licet post plurimos SS. Patres sint posita, communiter tamen censentur priora naturâ quoad gratias illis datas, ergo. Prob. 2. quia ad prioritatẽ naturæ non requiritur, ut aliquid actu & physicè existat, quando effectus, producitur; ut patet in actibus meritoriis & artefactis habituum activorum: ubi præmium vel merces dari solet in termino vitæ & artificiosi laboris, utique tunc realiter non ampliùs existentis: ergo aliquid, quod physicè non existit, potest esse prius naturâ. Probatur 3. quia prioritas naturæ non dependet à prioritate vel successione temporis, ut fatentur omnes; quia in unico instanti temporis dari possunt plurima

instans

instantia vel signa naturæ sive causalitatis, ut patet in productione radij solaris per unicum instans temporis in longū spatium propagati, aut specierum visualiū: ergo sicut simultas temporis nō tollit prioritatē naturæ, sic non tollet temporis posteritas. 4. quia illud est prius natura, quod aliunde de præsenti, præterito vel de futuro existens cōcurrit ad productionē effectûs: sed meritaChristi independēter ab Angelis exstitura utique poterant concurrere, & Deum movere ad supernaturalem gratiam tanquam ad præmium anticipatum Angelis dandum, ergo. sic sponsis principibus quandoque oblatæ sunt in nuptiis pretiosissimæ cunæ ob prolem independenter à cunarum productione præviſam: ergo. major videtur esse certa; causa enim finalis tantùm ideo non est prior natura, quia movet, ut sit vel acquirat suam existiam dependenter ab effectu; sed hoc non fit in causa morali: ergo aliquid posterius tempore, & aliunde, hoc est independenter à productione effectûs existēs potest esse prius natura, præsertim cùm prioritas naturæ non consistat in durationibus, sed in causalitate h.e. actione: ergo durationes se habent impertinenter ad prioritatem naturæ.

Ob. 1. Ex Physica effectûs existentia iuxta omnes bene infero existentiam cau-

sæ:

sæ: ergo posterius tempore non potest esse prius natura. R. disting. antecced. ex effectu infero existētiā causæ, si causa sit physicè influens, concedo, si moraliter, ut causa finalis vel ut moralis primùm aliunde exstitura, nego antecced. & consequentiam.

Ob. 2. medium ad finem non potest esse post finem: sed omnis causa est medium ad effectum tanquam ad finem producendum: ergo causa non potest esse post effectum vel finem: ergo posteritas temporis tollit prioritatem naturæ. R. disting. maj. si medium sit physicum vel purum medium, concedo: si medium sit morale vel quod non est purum medium, nego maj. & disting. min. omnis causa est medium vel physicum vel morale, conced. semper physicum hoc est physicè influens, nego min. & ultimam consequentiam.

Ob. 3. duratio prior tempore in serie & ordine naturali non potest esse posterior natura: ergo nihil tempore posterius potest naturaliter esse prius naturà. R. licet duratio vel alia res tempore prior in ordine physico, vel quoad causas irrationales non possit esse posterior naturâ; in serie tamen vel ordine intentionali sive quoad causas rationales facillimè & naturaliter potest contingere. An nō hyems aliunde exstitura nos ad vestes & strues lignorum

gnorum comparandas movere ſolet; ergo.

§. 7. *An aliquid poſſit ſeipſum producere & an detur mutua prioritas naturæ?*

DIco 1. Nil poteſt ſe ipſum per jã actionem producere. Sic coiſſima. Prob. 1. quia actio productiva effectus reſpicit cauſã ut aliunde exiſtentem, ut habetur ex lumine naturæ, & ex omnibus aliis cauſis, effectum diſtinctum phyſicè producentibus: ergo nil poteſt ſeipſum producere. 2. quia ſic tolleretur argumentum SS. Patrum cõtra Atheos factum, quo probatur exiſtentia Dei: item Filius Divinus per generationem divinã non ampliùs probari poſſet realiter diſtinctus à Patre. 3. quia ſic aliquid eſſet & non eſſet ſeipſo prius: eſſet, quia eſt cauſa, & non eſſet, quia nil poteſt eſſe ſine ſe, ergo.

Dico 2. implicat mutua cauſalitas vel prioritas naturæ pro eodẽ reali inſtanti tẽporis quoad primũ eſſe phyſicum, tam in eodẽ quàm diverſo cauſarum genere, inter cauſas realẽ & abſolutã exiſtentiam requirentes, ut ſunt cauſę phyſicę & morales. Sic communiſſima. Prob. 1. ex ipſa definitione prioritatis naturæ, quæ requirit ut cauſa independenter à ſuo effectu habeat ſuã exiſtentiam. 2. quia ſi daretur mutua cauſalitas, tunc aliquid poſſet ſeipſum producere, poſſet enim producere ſuam cauſam:

sam; ergo adeóq; tolleretur necessitas primæ causæ. 3. quia aliàs idem esset antequá esset, esset ut causa, & non esset ut effectus. 4. quia sic aliquid posset esse seipso prius, quia quidquid est prius priore se, est etiam prius seipso, sed admissa mutua prioritate, aliquid est prius priore se, nam causa A esset prior effectu, & effectus, quia etiã esset causa, esset prior causa A; ergo causa A esset prior seipsa, quod utiq; est implicatorium.

Hæc tota conclusio licet ex ipso lumine naturæ sit notissima & evidenter certa, sexcentæ tamen contra illam formari possunt obiectiones, non leves, ex variis capitibus ortæ. 1. ex difficultate materiæ ad alias scientias spectantis. 2. ex mala apprehensione causę finalis pro efficiente, hoc est, si rem dependenter ab effectu extituram concipimus, quasi aliunde existeret. Hinc sicut paterfamilias per mercedem prius operariis datam intendit laborem tanquam finem, sic Deus per mortem Pauli intendit preces Ecclesiæ. 3. ex confusione actionis 1. & 2. vel temporis, ubi duo putantur esse pro eodem instanti temporis, cùm tamen sint pro diversis v. g. si Petrus dicat; movebor ad motum Pauli, Paulus verò dicat, quiescam ad motum Petri, nisi hi 2. incipere velint, res pro diversis instantibus ita intellligi debet, ut motus Pauli in

instan-

instanti A determinet motum Petri in instanti B, & motus Petri in instanti B determinet quietē Pauli in instanti C. Idē contingit in feudatario certo tempore iurisdictionem petente, ubi iurisdictio est causa petitionis, & petitio est causa iurisdictionis, sed pro diverso tempore. Sic dispositiones causant formam, & ut proprietates causantur ab illa. Sic Rex Ezechias per preces sibi impetravit 15. annos, sic habitus causat actus, & causatur ab illis. 4. mutua causalitas obiici solet inter illos effectus, qui habent mutuam dependentiam nec à priori nec à posteriori, sed ex concomitante sive per mutuam concomitantiam, ubi cùm sæpe utriusque effectûs causa à multis ignoretur, ratio causæ non magis uni adscribi solet, quàm alteri, ut sunt ingressus venti & apertio fenestræ, motus rotarum, carbonum accensorum conservatio, baculorum inclinatio, confrictio vel calefactio manuum &c. 5. mutua causalitas obiici solet ex intricatis volitionibus & essentialiter inefficacibus, causatis à cognitione rem impossibilem tanquam possibilem repræsentante; vel quæ tantùm denominativè & extrinsecè dicuntur priores à prævia cognitione sui. quarum consideratio multum reflexionis & parùm utilitatis habere videtur; ergo relinquenda.

§. 8. *An detur, vel dari possit duplex actio vel causa totalis, respectu ejusdem effectûs?*

Dico 1. licet causæ in actu 1. existentes naturaliter plures dari possint totales, hoc est, inter plures ignes quilibet est apt', ut te solo producat hunc numero calorem vel alium ignem, duplex tamen causa totalis in actu 2. naturaliter non datur. Sic communis. Prob. 1. quia si una causa totũ faciat, vel si actio productiva effectûs ab una tantùm causa dependeat, tunc altera nil habet, quod agat; ergo. Vel sic: nulla est necessitas totales actiones ex conventu causarum multiplicandi, una actione totum finem, nempe productionem termini obtinente. 2. quia licet causa prima se sola possit effectum producere, per eandem tamen actionem concurrit cum causa secunda: ergo hoc ipsum facere videntur causæ secundæ; quia vis operativa in præsentia plurium causarũ nonnihil ligatur concursu attemperato: sic testatur experiẽtia plusibus equis aut hominibus minori conatu eundem currum trahentibus: vel si quili-

bet

bet equus illum, quem solus debet. conatum adhibeat, tunc plures multò plus vel velociùs operantur: ergo signum est naturaliter non dari causas totales.

Dico 2. divinitus non implicat dari plures causas vel actiones totales ad eundem effectum producendum. Prob. 1. quia omnipotentia DEI est infinita, & nulla ostendi potest contradictio aut efficax ratio in contrarium: ergo. 2. quia idem potest supernaturaliter habere plures ubicationes, ut patet in Sacrosancto Corpore Christi per consecratas hostias replicato; ergo posset hoc ipsum corpus Christi in pluribus locis positum, semper ibi per specialem actionem produci, ut non pauci docent Theologi: deinde si plures hostiæ consecratæ penetrarentur, tunc Christus adhuc posset locari, per plures ubicationes: ergo etiam posset produci per plures actiones. 3. quia à Deo, cur duas ponat actiones totales, est aliquis finis prudenter intendibilis, v. g. propter multiplicem positionem corporis replicati, propter excellentia merita alicujus Sancti, cum quo DEVS semper in præsentia aliarum causarum concurrere vellet

per

per actionem totalem. Deinde etiamsi nos, præscindendo à fide, nullum sciamus finem prudenter intendibilem, cur accidentia possint divinitus existere sine subsantia, an propterea implicat? ergo nostra scientia vel potiùs ignorantia finis prudenter intendibilis parum probat.

Ob. 1. Implicat ens superfluũ: sed duæ actiones totales sunt superfluæ; quia una obtinet totum finem vel effectum, unde altera tanquam medium ad finem ineptè applicaretur; ergo implicant actiones totales. R. disting. mai. implicat ens ex omni fine tam intrinseco quàm extrinseco superfluum, concedo: ex solo intrinseco fine superfluum, nego. & disting. min. 2. actiones totales sunt superfluæ ex fine intrinseco vel natura actionis, productionem termini intendentis, concedo: ex fine extrinseco vel ratione causæ producentis, nego min. & consequent. quia licet comestio cibi ex fine intrinseco vel ex sua natura ordinetur ad corpus nutriendum, potuit tamen fieri ex alio fine, Christo post resurrectionem coram Apostolis cibum postulante & comedente; idem dici potest de actione.

Ob. 2. si dari possunt 2. actiones totales, tunc aliquid poterit divinitus seipsum producere quoad secundum esse; quia actio

actio secunda licet ex fine intrinseco sit superflua, poterit tamen utilis esse ex fine extrinseco. R. P. Suarezium & alios sequelam concedere, quia secunda actio haberet novum effectum formalem, quem non præstitisset prima actio, nempe effectum dependentiæ ab hac causa, sivè ut effectus dependeat à sua causa secum identificata. Multi negant sequelam: quia videtur esse de conceptu vel essentia omnis actionis, ut sit productiva sui effectûs, adeóque ut pro priori signo naturæ dicat negationem alterius actionis, sicut enim causa non datur, ut tantùm faciat effectum à se dependere, sed etiam ut reddat existentem; sic actio præter dependentiam debet esse essentialis productio sui termini, vel effectûs.

Ob. 3. non potest eadem actio pendere à pluribus causis totalibus: ergo nec idem effectus; deinde non possunt dari plures causæ totales intrinsecæ; ergo nec extrinsecæ. R. Concesso utroque anteced. nego conseq. & paritatem: quia actio, quæ essentialiter & immediatè pendet à sua causa, non potest mutare suam essentiam. Ad secundum dico, quòd una pars non possit esse totum, & non totum, quod tamen sequeretur, causa enim totalis intrinseca utique esset totum: & tamen non esset totum, quia cum altera parte vel causa totali uti-

que faceret aliud totum: ergo respectu illius non esset totum: ergo implicat dari causas totales intrinsecas respectu ejusdem compositi, vel effectûs.

DE CAUSIS INTRINSECIS.

De materia, forma & unione jam egimus in aliis Thesibus prælo commissis, nunc restant illa, quæ rationem causæ concernunt, hic paucis exponenda.

§. 1. *Quid sit causa intrinseca, quæ virtus & causalitas illius?*

Dico 1. Causa intrinseca nil est aliud, quàm pars compositi ut quod, hoc est, quæ per modum extremi mediante unione constituit totum limitatum, sic excluditur SS. Trinitas trib⁹ constans personis tam parum, quàm Pater respectu Filij Divini nomen causæ admittentibus; hæc SS. Trinitas propriè non est compositum, longè minus totum limitatum. 2. excluduntur causæ extrinsecæ, quæ non sunt partes, sed producunt effectum à se adæquatè distinctum.

Dico 2. Causa in actu 1. sive virtus causativa

fativa causarum intrinsecarum, est aptitudo aliquod totũ componendi. Ratio est, quia posse causare, & habere virtutem causandi sunt idem, sed posse causare est ipsa aptitudo: ergo habere virtutem causandi est ipsa aptitudo.

Dico 3. Causalitas causarum intrinsecarum in actu primo est conjungibilitas vel aptitudo unius partis cum alia ad aliquod totum componendum. Ratio est: quia entitas causæ ab hac aptitudine denominatur causa potens causare; sive in actu primo: ergo aptitudo rectè dicitur esse causalitas in actu primo. Causalitas verò in actu 2. est unio, vel compositio. Prob. 1. quia illud est causalitas, quod est actuale exercitium, vel talis forma causæ, quâ posi. tâ partes, hoc est; materia & forma actu & indispensabiliter causant suum effectum, sive totum: sed unio est talis forma, vel exercitium, quo posito partes causant totum: ergo unio est causalitas. Confirmatur: quia duo ad naturam causalitatis requiruntur: 1. ut posita causalitate indispensabiliter ponatur effectus 2. ut effectus dependeat ab hoc numero causa: sed hæc 2. requisita habet unio, ut paulò ante vidimus: ergo.

Ob. 1. omnis causalitas & terminus à sua causa debet produci, & causalitas constituit

stituit suam causam priorem naturâ, respectu effectûs: sed unio non debet produci à suis extremis (quia aliunde producta æquè foret causalitas) nec reddit extrema naturâ priora, quia nulla datur actio, aut realis productio partium totum causantium: ergo unio non est causalitas. R. distinguo mai. quoad utrumque membrum: omnis causalitas debet produci à sua causa, & illam constituit naturâ priorem, in causis extrinsecis, concedo: in intrinsecis, nego: & concessa minore distinguo. conseq. uniò non est causalitas causarum intrinsecarum, nego: extrinsecarum, concedo.

Ob. 2, partes vel causæ intrinsecæ non possunt dici veræ causæ; vel enim essent ut unitæ, vel non unitæ; non quatenus sunt unitæ, quia ut sic non distinguuntur à toto; nec possunt esse causæ, ut non unitæ, quia ut sic non constituunt totum: ergo partes nullo modo sunt veræ causæ. R. partes vel causæ intrinsecæ sunt quidem causæ ut unitæ, non tamen in sensu collectivo, quasi materia, forma, & unio in recto importatæ, unirentur alicui alteri, sed in sensu distributivo, ita ut materia uniatur formæ & forma materiæ per unionem, quæ sit ratio, vel causalitas in obliquis importata.

§. 2. Quid

§. 2. *Quid, & quotuplex sit causa materialis, & an detur?*

DIco 1. Causa materialis in genere, nihil est aliud, quàm subjectum formæ, intelligè sustentativum, vel receptivum. Si illa forma recepta, suum subjectum constituat at prius naturâ, ut actio eductiva, vocatur causa materialis extrinseca: si subjectum cum illa constituat compositum substantiale, vel accidentale, nuncupatur materialis intrinseca. Itaque:

Dico 2. Causa materialis est duplex: intrinseca & extrinseca. Intrinseca est pars constitutiva totius, quæ se habet per modum subjecti; subjectum verò communiter dicitur illud, quod ex duob⁹ intimè & immediatè unitis est magis determinabile, indifferens, vel perfectibile; sicut materia prima respectu formarum, substantia respectu accidentis, causa materialis respectu termini educti, ens absolutum respectu sui modi. Causa materialis extrinseca est causa strictè physica, immediatè recipiens productionem entis limitatí, vel quæ à suo influxu informatur: dicitur 1. causa strictè, physica, he, talis. quæ realiter existens ab actione, quatenus actio est, essentialiter, determinatè, & immediatè respicitur: dicitur 2. immediatè recipiens actionem, vel

quę à ſuo influxu informatur, h e. actio formaliter ſive ex ſua natura unitur cum ſua cauſa: & ideo dicitur paſſio. Et licet actio juxta Thomiſtas recipiatur in cauſa efficiente, in illa tamen tam parùm recipitur formaliter, h. e. ex natura influxûs, quàm in termino, terminus enim non ideo eſt terminus, quia recipit actionem, ſed quia per actionem, quæ cenſetur eſſe via, producitur. Idem dic de cauſa efficiente &c.

Dico 3. Cauſa materialis utraque datur. De intrinſeca nemo dubitat, quia datur corpus naturale, conſtans ſubiecto & forma, ergo. Datur etiam extrinſeca & purè ſuſtentativa, h. e. talis, quæ non ſit ſimul efficiens, ſic cõm. Prob. 1. quia debet dari diſcrimen inter generationem, & creationem: ergo materia prima debet ſe aliter habere, ad productionem formæ materialis, quàm animæ rationalis; hæc enim juxta omnes creatur, illa generatur: & ad utrius. que productionem connaturaliter præ-quiritur materia prima organizata, ergo. 2. quia negata cauſa materiali extrinſeca, omnia crearentur, ſive fierent ex nihilo ſui, & ex nihilo ſubiecti, ſicut anima rationalis: ergo creaturis aliquid producentibus, v. g. hanc concluſionem affirmantibus, competeret vis creativa; quod hactenus nemo admiſit.

Ob,

Ob. 1. cum Leſſio: generationem per hoc differre à creatione, quòd generatio ſit productio termini, ſemper connaturaliter exigentis eſſe in ſubiecto, ut ſunt omnes formæ materiales, & accidentales: creationem verò, quòd ſit productio termini, vel nunquam volentis eſſe in ſubiecto, ut Angeli, vel non ſemper, ut anima rationalis. R. hoc diſcrimen non ſufficere 1. quia generatio & creatio non tantùm ratione termini, & extrinſecè, ſed etiam ratione ſui, vel intrinſecè differunt. 2. quia eadem res poteſt divinitus generari & creari, ut docēt & ſentiunt omnes, v. g. formæ materiales, uniones, gratia ſanctificans, poſſunt creari vel generari. 3. quia ſic quantitas Euchariſtica ſine ſubiecto conſervata non crearetur, ſed æquè generaretur, ac ſi eſſet in ſuo ſubiecto ſuſtentativo, quia quantitas utpote accidens ſemper exigit eſſe in ſubiecto: ergo.

Ob. 2. cum docto quodam Recent. actio generativa & creativa per hoc differunt, quòd generatio ſit actio productiva formæ, & unionis, vel eſſentialiter reſpectiva actionis unionem producentis, creatio verò, quòd ſit actio carens omni nexu eſſentiali cum actione productiva unionis. Sed contra eſt. 1. quia ſic unio non poſſet creari, ſaltem materia 1. non poſſet elevari

ad creandam unionem. 2. quia sic anima rationalis non crearetur, si Deus actioni creativæ essentialem appetitum ad unionē, quam Deus semper in creanda anima intendit, superadderet. 3. quia sic totus equus ex nihilo sui, & ex nihilo subiecti per unicam actionem productus (sicut aliqui docent contigisse in mundo creato) esset generatus; sequela probatur, quia effectio equi esset actio productiva formæ & unionis, ergo. 4. quia sic creatio esset generatio, creatio enim est actio, & sui ipsius unio: ergo, cùm creatio sit productio sui ipsius, utique erit actio productiva unionis. Verbo, non placet hoc discrimen propter sequelas contra omnes ferme doctores admittendas.

Ob. 3. si causa materialis extrinseca vi sui influxûs, vel actionis passivæ recipiet eductionem, tunc iam facit compositum accidentale, & sic omnis causa materialis est intrinseca: ergo extrinseca est intrinseca. R. concesso anteced. disting. conseq. extrinseca est intrinseca quoad eductionem, concedo: quoad terminum eductum, nego consequentiam; quia licet actio eductiva vi suæ productionis, indispensabiliter recipiatur in sua causa, & naturaliter suum terminum invitet efficaciter ad idem subiectum, terminus tamen supernaturaliter

posset

posset non uniri suæ causæ: ergo causa materialis vi suæ productionis, rectè dicitur extrinseca, intellige quoad terminum per actionem intentum.

§. 3. *De causalitate causæ materialis extrinsecæ, & an actio eductiva, & passio realiter distinguantur?*

DIco 1. Causalitas, vel influxus actualis causæ materialis extrinsecæ est actio eductiva, sustentatio sive passio. Sic communis. Prob. 1. quia illud est causalitas alicujus causæ, quo posito causa redditur actu causans: sed posita actione eductiva, vel passione, causa sustentativa redditur actu causans: ergo. Major est apud omnes certa, minor patet ex eo, quia de conceptu causæ sustentativæ est, ut actio indispensabiliter pendeat ab hac causa, jam aliunde physicè existente, & simul illius sit essentialis, & immediata informatio: sed hoc habetur per actionem eductivam: ergo Prob 2. quia sic causa sustentativa optimè distinguitur ab efficiente per indispensabilem receptionem actionis, sive per passionem: ergo pro causalitate hujus cau-

sæ rectè assignatur actio eductiva. Prob. 3. quia causa sustentativa non concurrit acti. vè, hoc est, ex sua virtute, sed concurrit passivè, instar mendici eleemosynā excipientis : ergo causalitas illius est passio, vel sustentatio, hoc est, actio productiva termini recepta in subjecto naturâ priori.

Dico 2. actio eductiva & passio realiter non distinguuntur. Sic testatur Philosophus lib. 3. tex. 9. asserens : moventis & mobilis, hoc est, agentis & passi unum esse actum, sicut unum est intervallum aut via in itu & reditu ab urbe ad urbem v. g. Thebis Athenas & vicissim, Prob. 1. quia eadem actio, in quantum essentialiter respicit & dependet à subjecto, ut aliunde realiter existente, est actio, in quantùm verò essentialiter, & immediate recipitur, est passio : ergo actio & pasio tam parum distinguuntur realiter, quàm visio, quæ quoad oculum potest dici activa, & quoad murum passiva. 2. quia actio non debet necessariò recipi in causa efficiente ; datur enim juxta omnes actio tam transiens, quàm immanens: ergo nulla est ratio, aut necessitas actionem distinguendi à passione. 3. quia si actio non esset ipsa passio, vel essentialis informatio sui subjecti, quod actio prius naturâ constituit, tunc ipsa actio eductiva non esset generatio, sed creatio ; se-

quela

quela probatur, quia actio non ideo est generativa, quia essentialiter respicit subjectum naturâ prius, sed quia etiam in ipso essentialiter recipitur. Et hoc patet ex eo, quia anima rationalis potest à Deo, & simul à materia prima per potentiã obedientialem creari &c. ergo eductio debet esse essentialis dependentia à subjecto, jam alicunde realiter existente, & simul actualis illius informatio. 4. quia actio eductiva debet recipi in subjecto, & passio debet produci per actionem; sed sicut actio recipitur per seipsam sine unione distincta, sic passio producitur per actionem indistinctam, alias daretur processus in infinitum, vel ipsa actio eductiva passionis esset simul actio & passio: actio, quatenus educeret passionem ex subjecto; passio, quatenus actio per suam essentiam reciperetur in subjecto.

Ob. 1. actio est influxus vel via, qua agens agit, & passio est influxus, quo subjectum patitur: sed hi influxus debent distingui: ergo. R. concessa majore, nego minorem, quia eadem forma propter diversam habitudinem subjecti, quod forma afficit, potest causare diversos effectus formales, sicut enim eadem actio denominat causam agentem, & effectum productum, & sicut eadem cognitio muri facit

Petrum cognoscentem & murum cognitum: sic eadem actio eductiva potest unam causam reddere agentem, & alteram patientem.

Ob. 2. in divinis actio generativa realiter distinguitur à passione; Pater enim distinguitur à filio; ergo idem dici debet in generativa actione, & passione creata. R. distinguo antecedens: & hoc provenit ex eo, quòd Pater sit ipsa actualis determinatio, vel generatio activa filii; concedo, quòd Pater sit indifferens ad productionem filii, sicut causa creata respectu effectûs; nego antecedens, & consequentiam. Deinde sicut creatio activa non distinguitur à passiva, sic actio eductiva non distinguitur à passione.

§. 4. De causa formali, & causalitate illius.

Dico 1. causa formalis nil est aliud, quàm forma vel pars compositi magis determinativa vel perfectiva. Quatenus hæc forma subiecto unita, causat aliquod totum, vocatur causa formalis constitutiva, quatenus propter contrarias qualitates, vel propter incapacitatem subiecti formam expellit secum incompossibilem, dicitur causa formalis expulsiva, Sic omnes.

Dico

Dico 2. Causalitas causæ formalis constitutivæ in actu secundo est unio. Ratio est, quia hæc causa formalis, quatenus constituit totum, est causa intrinseca: ergo 2. quia sicut se habet actio ad causam extrinsecam, ita se habet unio respectu formæ, quæ subiectum actu non informat, nisi positâ unione: ergo. Causalitas verò causæ formalis expulsivæ includit 2. scilicet negationem actionis conservantis formam vel unionem illius, & decretum Dei non ampliùs volentis in subiecto conservare formam antiquam, propter novam eidem subiecto introductam. Ratio est, quia his duobus positis habetur expulsio formæ antiquæ dependenter à nova introducta, & uno ex istis ablato non habetur: posset enim divinitus esse introductio novæ formæ sine expulsione antiquæ, & posset esse expulsio formæ antiquæ sine introductione novæ: ergo causalitas est aliquod conflatum ex negatione actionis formam antiquam in subiecto conservantis, & ex decreto Dei illam negationem decernentis propter novam formam introductam.

Ob. 1. Causa expulsiva non est forma respectu formæ expulsæ; ergo malè dicitur causa formalis respectu illius. R. licet forma nova introducta Deum moveat, ut propter incompossibilitatem formarum

cesset

cesset conservare formam antiquam, & sic causa expulsiva sit causa moralis efficiens, quia tamen hoc fit propter actualem informationem, sive dum actu informat subiectum, ideo forma, quia est causa expulsionis, dici potest causa formalis expulsiva.

Ob. 2. si adest decretum Dei volentis destruere formam antiquam ob introductionem formæ novæ, tunc adest tota causalitas formæ expellentis: ergo frustra superadditur negatio actionis conservativæ, quia impossibile est decretum Dei frustrari vel privari suo effectu: ergo. R. distinq. præsente decreto Dei adest tota causalitas radicalis, h. e. decretum infallibiliter secum trahit negationem actionis conservativæ, concedo, adest tota causalitas formalis, nego antec. & conseq. sicut enim decretum Dei non facit murum formaliter album, sic se solo non est formalis expulsio formæ, sed causalis vel radicalis.

§. 5. *An, & quomodo introductio formæ sit prior composito & formâ expulsâ?*

Dico 1. Introductio formæ novæ, & expulsio antiquæ, sunt in uno instanti reali. Prob 1. quia aliàs materia 1. pro aliquo instanti vel nullam haberet formam,

vel

vel duas simul; nullam, si expulsio præcederet, duas, si ante expulsionem poneretur introductio. 2. quia forma nova & antiqua pugnant de subiecto per qualitates prœvias: ergo introductio unius formæ, & expulsio alterius possunt esse in eodem tempore, quia formę substantiales non debent simul existere, sicut duo adversarii de uno loco decertantes; Deus enim in primo instanti videns, in secundo positum iri ultimam dispositionem, unde unde causatam, decernit positionem formæ novæ, & desitionem antiquæ: ergo.

Dico 2. Causa formalis compositi non est prior naturâ respectu compositi, est tamen prior à subsistendi consequentiâ respectu illius. Prima pars patet ex eo, quia causa intrinseca nil physicè producit aut determinat ad existendum, sed se tantùm communicat toti; nam licet unio physicè producatur à forma, forma tamen respectu unionis à se productæ non est causa intrinseca vel formalis, sed extrinseca & efficiens: confirmatur conclusio, quia prioritas naturæ habetur ab actione, sed causæ intrinsecæ non influunt per actionem: ergo. Probatur secunda pars: quia ex toto possum inferre quamlibet partem, sed nō viciſſim: ergo pars est prior toto per illationem, sive à subsistendi consequentia.

Dico

Dico 3. Introductio novæ formæ est causa & prior naturâ expulsione formæ veteris positivæ; dixi positivæ, quia introductio lucis non est causalis, sed formalis expulsio tenebrarum: ergo talis introductio non potest esse prior naturâ: nunc prob. conclusio 1. quia illud est prius natura, & causa moralis alterius, quod ut iam existens movet agens ad aliquid faciendum vel destruendum: sed hoc facit introductio, vel nova forma introducta; ergo. Mai. communiter apud omnes est certa, min. prob. quia nova forma utique non producitur à proprietatibus formæ veteris, neque ab ipsa forma vetere: ergo nova forma, ut aliunde existens movet Deum ad veterem expellendam. Prob. 2. quia sicut ultima dispositio est simul tempore & prior naturâ respectu suæ formæ, sic productio novæ formæ est simul tempore, & prior naturâ, respectu expulsionis formæ antiquæ, prius concedunt omnes, ergo & posterius. Prob. 3. quia ultima dispositio ideo est prior naturâ, quia aliunde existens movet Deum ad positionem formæ, sed hoc totum facit introductio novæ formæ: ergo est prior naturâ. Prob. 4. quia forma antiqua tam diu debetur subiecto, quamdiu non supervenit alia forma incompossibilis: ergo introductio formæ novæ est causa expulsionis; an-

tecc-

tecedens pater ex eo, quia gratia sanctificans non expellitur, nisi peccato introducto: ergo.

Ob. 1. forma antiqua est impedimentum, quo minus introducatur forma nova: ergo forma antiqua debet prius expelli: ergo expulsio est prior naturâ. R. hoc impedimentum tolli posse per actum secundum, sive per positionem, vel introductionem formæ; Deus enim in priori instanti, imò ab omni æternitate prævidens dispositiones, & positionem formæ propter dispositiones, ponit formam novam, & propter novam solet veterem expellere.

Ob. 2. sicut generatio unius est corruptio alterius, sic corruptio unius, est generatio alterius: ergo utrumque vel neutrum est prius naturâ. R. licet ex correlativis utrumque inferri possit, v. g. datur causa, ergo effectus; datur effectus, ergo causa, non tamen sequitur, quòd utrumque sit causa, vel prius nâturâ; quòd autem generatio sit causa movens Deum ad destructionem formæ, desumitur ex fine causarum inter se pugnantium, quæ ex sua natura potiùs & prius intendunt productionē entis, quàm destructionem. Deinde non ideo introducitur nova forma, quia expellitur antiqua, sed ideo expellitur antiqua, quia introducitur nova, ut patet in expulsione gratiæ, & introductione peccati, Ob.

Ob. 3. si forma nova est prior naturâ, tunc dantur simul duæ formæ, quia tamdiu manet forma vetus, quamdiu non destruitur, sed pro illo signo, pro quo est nova forma, non destruitur; ergo manet; ergo dantur simul duæ formæ. R. distinq. tamdiu forma vetus manet in reali duratione, quamdiu non destruitur, cōcedo, pro priori signo naturæ, nego: quia pro priori signo naturæ tantùm manet id, quod est causa, vel se tenet ex parte causæ potentis causare; ergo.

DE CAVSA FINALI, ET EXEMPLARI.

§. 1. *Quid, & quotuplex sit finis?*

FInis variè accipi potest. 1. pro extremo cuiuscunque rei, quatenus opponitur principio. sic mors est finis vitæ, epilogus finis comœdiæ. 2. pro inclinatione rei, sic lapis ex suo fine properat deorsum, ignis sursum. 3. philosophicè pro eo, quod principium cognoscitivum movet ad amorem, & prosecutionem sui.

Dico 1. Finis est causa motiva, ut sit; per hoc enim differt à reliquis causis, non

ut

ut ſint, ſed quia ſunt, cauſantibus: vel ſic: finis eſt id, cuius gratiâ aliquid fit, ita ex Ariſt. Philoſ. omnes. Dicitur 1. cuius gratiâ, h. e. propter quod obtinendum. Dicitur 2. aliquid fit, non tamen ponitur aliud, quia licet plerumque ad finem obtinendū aliquid aliud, h e. media realiter diſtincta producantur, v. g. miſſio ſanguinis, vel ambulatio ad ſanitatem procurandam, ad eſſentiam tamen cauſæ finalis non requiritur, ut aliquid à fine diſtinctum producatur; ut patet in amore Dei, cuius bonitas cognita utique poteſt cognoſcentem allicere ad productionem ſui.; ſed amor Dei juxta talem apprehenſionem operantis eſt finis vel cauſa finalis, & ad hunc amorem obtinendum nil debet aliud produci: ergo. Cæterum adæquata ratio finis ex trib⁹ componitur. 1. ex parte acquirēda *ut quod*. 2. ex parte acquirenda *ut quo*. 3. ex *ſubiecto*: pars vel res acquirēda ut quod vocatur finis *cuius*, vel *qui* obiectivus, ut eſt ſanitas: pars vel res acquirenda, *ut quo* eſt ipſa unio, vel poſſeſſio boni intenti, dicitúrque finis formalis, vel finis *quo*. Denique illa res aut perſona, cui bonum quaſi forma acquiritur, vocatur ſubiectum vel finis *cui*. Itaque, finis conflatur ex fine obiecti vo, ſubiecti vo & formali, vel quaſi ex materia, forma, & unione.

Dico

Dico 2. finis datur multiplex: v. g. universalis h. e. pluribus communis, ut est gloria Dei; particularis vel uni proprius, ut est conservatio proprij individui. Intrinsecus sive per se à scientia vel arte intentus, ut est sanitas in Medicina: extrinsecus vel per accidens, ut sunt opes respectu ejusdem artis medicæ. Vltimus vel propter quem cetera omnia fiunt, ut est Deus; non ultimus vel intermedius h. e. talis, qui propter suam bonitatem appetitur, ita tamen ut etiam appetatur propter aliud, ut sunt fines artium & scientiarum, quę tandem diriguntur ad gloriam Dei &c.

Ob. 1. causa finalis malè dicitur causa motiva ut fiat, quia finis hominis est Deus: & finis vel causa finalis mercenarii propter mercedem operantis sunt pecuniæ, utique jam factæ: ergo ad essentiam causæ finalis non requiritur, ut primùm fiat. R. licet finis qui objectivus sæpe non producatur, & tantùm sit objectum formale; finis tamen qui formalis, sive finis quo h. e. unio semper debet produci. Cùm ergo finis qui objectivus & finis cui sint partes finis adæquatè moventis, & cùm hoc complexum in ratione totius semper producatur, ideo finis qui & cui, licet non producantur, & sint tantùm objectum formale, ratione totius tamen ab operante intenti dici possunt causæ finales.

Ob.

Ob. 2. finis *qui* licet producatur v. g. ſanitas, non tamen amatur propter ſe, ſed ordinatur ad finem cui, ſive ad hominem: ergo finis *qui* non habet rationem finis ſed medij. Et rationem medij non in hoc conſiſtere, quòd attribuatur alteri quomodocunque v. g. ut ſubjecto, ſed quod ordinetur ad aliud acquirendum vel producendum, hoc autem finis qui in allato caſu non habet: ergo. An autem ratio finis magis conveniat fini *cui* vel *cujus*? pendet ex majore amore unius præ altero: ſic ſi Deum amamus ex amore concupiſcentiæ, finis *cui* (nempe nos) magis amatur, ſi amore amicitiæ, finis *qui* hic, Deus magis amabitur.

§. 2. *An finis ſit vera cauſa, & quæ ſit virtus illius?*

Dico 1. finis eſt vera cauſa. Prob. 1. quia cauſa ab omnibus dividi ſolet in 4. genera cauſarum: ergo. Prob. 2. quia illud eſt vera cauſa, à quo per ſe & realiter pendet effectus; ſed effectus phyſicus ita pendet à cauſa finali: ergo. Mai. videtur ex terminis nota, min. probatur: ab eo enim per ſe & realiter effectus dependet, propter quod effectus producitur, ſed propter finē à cauſa efficiēte

per

per illius bonitatem motâ producitur effectus; v. g. sumptio pharmaci & missio sanguinis: ergo. Confirm. quia causæ physicæ & morales ideo sunt veræ causæ, quia effectus ab illis dependet, sed idem fit in causa finali: ergo Prob. 3. quia causa efficiens nil agit sine finali juxta illud: omne opus naturæ est opus intelligentiæ: ergo causa efficiens, ne temerè agat, exigit agere propter finem, sive propter bonitatem in effectu repertam: ergo causa finalis est vera causa.

Dico 2. virtus causæ finalis quoad actus prosecutivos est quævis bonitas jucunda vel honesta etiam ficta, & in se impossibilis, modò appareat ponibilis, quoad actus verò aversativos est malitia. Prob. 1. quia virtus causę nihil est aliud quàm aptitudo finaliter & ultimatè movendi voluntatem, sive est bonum per se & per suam propriam bonitatem potens movere: sed in bono etiam ficto datur talis aptitudo vel bonitas. Prob. 2. quia voluntas cùm sit potentia cæca, non judicativa nec discreti. va veri à falso, potest ab intellectu nimis credulo, vel unde unde decepto induci ad rem Chymæricam amplectendam. Confir. quia bonũ utile quâ tale ideo cõmuniter excluditur à ratione finis, quia utile quatenus est in intellectu operantis per se, sive per

suam

ſuam propriam bonitatē non movet voluntatem, ſed movet per alienam ſcilicet per vel propter honeſtatem vel delectabilitatem: ergo ad virtutem cauſæ finalis requiritur, ut ſit bonum per ſe potens movere.

Ob. 1. quod realiter non exiſtit, non poteſt realiter cauſare: ſed cauſa finalis dum cauſat, realiter non exiſtit; ergo non poteſt realiter cauſare, Rꝛ. cum diſtinct. quod non exiſtit, non poteſt realiter efficienter vel phyſice cauſare, concedo: non poteſt finaliter cauſare, hc. bonitas finis cognita non poteſt movere voluntatem ad complacentiam, amorem, ad actum imperantem & procurationē mediorum, nego.

Ob. 2. bonitas ficta & impoſſibilis non poteſt eſſe cauſa finalis, quia voluntas cùm ſit potentia realis, debet habere objectum re alc, & non tantùm apparens, aliàs voluntas cùm vellet bonum apparens, vellet ipſam cognitionem; tota enim apparentia bonitatis fictæ conſiſtit in ipſa cognitione. Rꝛ. cum diſtinct. voluntas debet habere objectum reale & poſſibile ſecundùm apparentiam, concedo: in ſe, nego, ad probationem dico: licet apparentia conſiſtat in cognitione, nō tamen ſequitur, me velle cognitionem; ſicut enim, ſi volo lac album, non tamen dicor me velle albedinem, ſic licet cognitio chymæram denominet

minet bonum apparens, non tamen volo cognitionem sive formam denominantem, sed illud volo, quod denominatur bonum.

§. 3. An cognitio sit, vel possit esse virtus causa finalis?

DIco 1. Cognitio, in quantum præcisè repræsentat bonum, non est virtus causæ finalis, sed est pura conditio sive applicatio ipsius motivi vel virtutis. Prob. 1. quia si cognitio esset tota virtus, vel pars illius, tunc deberet amari, & media, quæ ad finem acquirendum adhibentur, deberent conducere ad productionem illius cognitionis, sed nil horum fit; cognitio enim jam præsupponitur esse, antequam finis movendo causat; ergo. Probatur 2. à pari, quia applicatio agentis ad passum est mera conditio agentis, & non virtus; ergo etiam cognitio (quæ est applicatio bonitatis voluntati repræsentativa) non erit virtus, sed mera conditio ad causandum. 3. quia causa finalis est illud, quod intendimus acquirere, sed cognitionem quatenus præcisè repræsentat bonitatem, non intendimus acquirere, neque illa movet voluntatem ad operandum: sicut enim cogni-

tio

tio mali non est ipsum malum, quod nos movet ad fugam mali, sic cognitio vel repræsentatio non est illud bonum, à quo movemur ad prosecutionem & amorem illius.

Dico 2. Cognitio reflexè cognita, sive quatenus est objectum cognitionis, potest esse virtus causæ finalis. Prob. 1. quia virtus causæ finalis & bonum sunt idem: sed cognitio reflexè cognita potest ab intellectu repræsentari ut bona: ergo cognitio per suam bonitatem potest voluntatem movere ad amorem & prosecutionem sui. Prob. 2. quia visio beatifica Dei. Item scientiæ actuales speculativæ sunt cognitiones, sed hæ amantur & movent voluntatem gratiâ sui sive propter suam bonitatem: ergo cognitio reflexè cognita potest esse virtus causæ finalis.

Objicies 1. Existentia causæ finalis habet se ad causam finalem, sicut existentia causæ efficientis ad causam efficientem: sed existentia causæ efficientis non est mera conditio ad agendum, sed causa: ergo cognitio non est mera conditio, sed est ipsa causa vel virtus causæ finalis. R. nego mai. & parit: quia existentia causæ efficientis est intrinseca & identificata cum causa efficiente, intentionalis verò

existentia causæ finalis est extrinseca illi bonitati, quæ allicit voluntatem.

Ob. 2. finis ut cognitus movet ; & cognitio constituit actum primum causæ finalis potentis causare : ergo cognitio est virtus, vel pars causæ finalis constitutiva. R. licet cognitio in causa finali proximè completa involvatur, sicut aliæ conditiones in causa efficiente completa , non tamen sequitur, quòd cognitio repræsentativa finis habeat rationem motivam ; sicut enim approximatio ignis non urit, sive non est virtus causativa ignis, sic cognitio neque est id, quod amatur, neque id, quod movet aut impellit, neque quod à cognoscente intenditur: ergo.

Ob. 3. mutata cognitione mutatur virtus alliciens , & mutatur effectus causæ finalis, nempe actus voluntatis, ergo signum est, non tantùm conditionem, sed virtutem causæ finalis esse mutatam. R. distinguo antec. mutata cognitione mutatur virtus, si variatio cognitionis proveniat ex variatione objecti, concedo , si variatio præcisè se teneat ex parte solius cognitionis v. g. si pro clara cognitione A ponatur clara cognitio B, nego anteced. & consequ. , quia licet bonitas objecti diversis cognitionibus claris vel obscuris proposita, magis & minus movere possit, instar ignis magis vel mi-

minus applicati, cognitio tamen merè repræsentativa finis, quæ est applicatio intentionalis, tam parum est virtus vel causa finalis aut motiva, quàm applicatio physica sive approximatio ignis ad passum.

§. 4. De effectu causæ finalis, & causalitate illius.

Dico 1. Effectus causæ finalis est omne id, quod fit finis gratiâ, sive quod producitur ad cognitam bonitatem finis, quam plerumque sic prosequimur obtinendam. 1. visa bonitate consequibili oritur simplex complacentia, sive prævius actus, & quædam velleitas disponens ad sequentes effectus. 2. elicitur amor & intentio finis propositi, imperans inquisitionem mediorum. 3. fit indagatio, consultatio, & electio mediorum. 4. potentiis externis imperatur exsecutio, & media adhibentur, v. g. medicus vocatur, pharmaca præparantur, sanguis mittitur &c. 5. finis, antea tantùm cognitus, nunc realiter producitur. Et tandem ex fine, jam obtento, vel præsente, oritur gaudium & fruitio finis, potiùs effectus causæ efficientis, quàm finalis, quia gaudium non ponitur, ut sit, vel fiat finis, sed quia jam est positus: gaudium tamen

ab intellectu cognitum, quia in se bonum est, potest esse causa finalis, provocans voluntatem per actum amoris voluptuosi ad sui prosecutionem.

Dico 2. Causalitas finis in actu secundo dicitur esse motio metaphorica, sive est actio productiva effectûs, prout connexa cum tali fine. Ratio est, quia ad causalitatem essentialiter duo requiruntur. 1. ut sit actualis productio effectûs. 2. ut hic numero effectus per productionem indispensabiliter pendeat ab hac causa: sed hæc duo habentur per talem actionem: ergo. Cùm actio in effectibus immediatis, vel internis identificetur cum ipsis effectibus intentionalibus, & effectus, non quidem physicè tanquam à causa physicè influente, sed intentionaliter tanquam ab objecto, quod repræsentant, essentialiter dependeant, causalitas est sola actio vel entitas talium effectuum. Quoad effectus verò extrinsecos sive mediatos causalitas non est sola actio productiva effectuum, quia actio est indifferens, an procedat ex hoc vel illo motivo sive fine, (ambulatio enim posset poni ex alio motivo quàm ex motivo sanitatis) sed causalitas est quoddam complexum ex actione physica & decreto Dei illam cum fine connectentis. Ratio est, quia istis posi-

tis

tis nulla est indifferentia, & uno eorum ablato manet indifferentia: ergo.

Ob. 1. Causalitas causæ finalis est vera entitas vel influxus physicus: ergo malè dicitur motio metaphorica. R. motionem causæ finalis vel motivæ ideo dici metaphoricam, licet in se sit influxus realis, quia causa finalis non est causa strictè physica, sed intentionalis vel motiva, adeoque influxus non est propriè physicus, sed intentionalis, quem vocant metaphoricum.

Ob. 2. si datur causa finalis, quæ per procurationem mediorum tendat ad sui existentiam, tunc causa finalis quoad primum esse reale producit seipsam, sed nihil, (ut supra vidimus) potest producere seipsū: ergo causa finalis non datur, vel non tendit ad sui productionem, sive existentiam. R. disting. causa finalis seipsam producit physicè, vel, ut aliunde existens, nego: intentionaliter, vel movendo. & ut extitura, concedo mai. & disting. min. nihil potest seipsum producere physicè, vel aliunde jam existens, cōcedo min. finaliter, h.e. propter visam bonitatem movendo causam efficientem, nego minorem, & consequentiam, quia hîc nulla sequitur contradictio, quam sequi vidimus in alia causa secundum existentiam causante.

§. 5. *Quibus entibus agere competat propter finem?*

NOtand. est agere propter finem tripliciter sumi posse. 1. latè quatenus quævis essentia tendit in suum bonum, etiam nullâ præsuppositâ cognitione, sic gravia deorsum, levia sursum tendunt. 2. strictiùs, sed impropriè & materialiter, quatenus aliqua causa præsuppositâ cognitione conatur per media acquirere bonum, quorum tamen mediorum cum fine proportionem non cognoscit. 3. propriè & formaliter agere propter finem, est bonum cognitum ita procurare per media, ut ab operante cognoscatur proportio mediorum cum fine. & sic actu judicativo fiat aliqua comparatio inter finem & media. His positis

Dico 1. Deum, Angelos, & homines agere formaliter propter finem. Ratio est, quia cognoscunt proportionem, conducibilitatem, & convenientiam mediorum cum fine, & sic operantur: ergo. Deus enim hominem creat. & quandoque etiam vocat ad studia, atque religionem, ut suo fine, h.e. gloria in cælo donetur sublimiore. De Angelis res æquè clara est; quid enim illi non faciunt per sua obsequia, inspirationes, custodiam &c. ut nos sibi in cælo coniungant

gant beatitudinis socios. De hominibus quotidiana docet experientia ; studiosus enim, v. g. ideo se bene gerit, & studet, ut post studia suæ cuticulæ, mundo honoratiori, aut Deo meliùs possit inservire: ergo.

Dico 2. bruta propriè & formaliter non agunt propter finem. Prob. 1. quia licet bruta cognoscant media & finem, non tamen vident utilitatem & proportionem mediorum ad finem ; hanc enim si viderent, jam compararent medium cum fine, adeóque judicarent medium esse aptum ad finem, sed bruta carent omni actu judicativo: ergo. Prob. 2. quia sufficit determinatio naturæ sine comparatione à brutis facta ; canis enim viso baculo fugam arripit, absque eo, quòd quasi discurrat : ad hoc, ut vitem verbera, debeo fugere : ergo bruta formaliter sive comparando media cum fine, non agunt propter finem.

Ob. 1. omnium agentium operationes dicuntur esse propter finem; opus enim naturæ est opus intelligentiæ ; ergo bruta & agentia inanimata agunt propter finem. R. distinq. omnium agentium operationes sunt propter finem ex directione & intentione causæ primæ, sicut sagitta ex impulsu à sagittario impresso properat ad finem, concedo : ex cognita proportione mediorum cum fine, nego antec. & conseq.

Ob. 2. bruta non minus cognoscunt convenientiam mediorum cum fine, quàm pueri & amentes, non quidem ex judicio, sed apprehensione vel imaginatione utilitatis unius rei ad aliam. Deus enim ut Auctor naturæ debet brutis aliquas species insensatas, h. e. à sensibus exterioribus non collectas in prima illorum productione indidisse, quæ necessariæ sunt ad vitam tuendam, & suam speciem propagandam, ut infinitis experientiis probari posset : hirundo enim, dum colligit paleas, illasque aquâ & luto permiscet, videtur cogitare de ovis & pullis excludendis : aranea laboriosam facit telam ad muscas capiendas ; canis videtur motum in altum eligere, tanquam medium utile ad acquisitionem panis ostensi ; & sic de aliis. Et. istas & alias experientias rectè explicari posse per instinctum naturæ, per actus elicitos bruta determinantis ad varia objecta amplectenda, non secus ac fieri solet quandoque in fœminis prægnantibus, quæ occulto quodam instinctu incitatæ cretas, carbones & alia parodoxa devorare nituntur. De pueris & amentibus res facilis est ; hi enim si habent cognitiones imperfectiores non comparativas, materialiter tantùm, hoc est, ponunt illa, quæ ad finem sunt apta, nō tamen formaliter, h. e. per judicium

dicium comparativum agunt propter finem. Aliqui illum instinctum non distinguunt à phantasia, alii requiruntspecies superadditas, quidquid sit, bruta non probantur formaliter agere propter finem.

§. 6. *Quid & quotuplex sit Causa exemplaris, quæ virtus & causalitas illius?*

DIco 1. Causa exemplaris definiri solet esse id, in quod operans inspiciendo operatur. Si res exterius ob oculos statuitur ad imitandum, vocatur exemplar externum & remotum : si interius concipiatur aliqua res, quam agens, sicut cognoscit faciendam, intendit facere, ut loquitur Suarez disp. 25. s. 2. n. 40. dicitur exemplar internum, objectivum, proximum. Ipsa verò cognitio talis rei faciendæ nuncupatur idæa interna formalis v. g. pictor imaginem facturus primò aspicit verum palatium, deinde concipit palatium coloribus exprimendum Verum palatium vocatur idæa externa objectiva vel remota ; exprimendum nominatur idæa interna objectiva proxima. Cognitio illius palatii dicitur idæa formalis.

Dico 2. proxima virtus causæ exem-

plaris est aptitudo vel res ipsa sicut faciendа cognoscitur, potens fieri ex intentione agentis, prob. 1. quia idæa propriè non consistit in cognitione, quæ (sicut de causa finali diximus) est tantùm conditio applicans idæam internam objectivam, ergo cognitio non est virtus. Prob. 2. quia illud est virtus vel idæa in actu primo, quod artifex intendit exprimere, sed illud, quod animo concepit, non verò suam cognitionem, quam reflexè non cognoscit, intendit exprimere & producere, ergo.

Dico 3. Causalitas in actu secundo est actio productiva talis idææ objectivæ cum decreto Dei, concurrentis propter ipsam rem cognitam & intentionem agentis. Ratio est, quia his positis habetur causalitas actualis, & uno ablato non habetur: ergo.

Ob. 1. tam causa finalis quàm exemplaris tantùm intentionaliter existit & movet ad productionem sui; ergo causa finalis ab exemplari non distinguitur. R. transc. antec. nego conseq. 1. quia in causa exemplari datur duplex idæa objectiva, interna & externa, sed externa iam physicè existit 2. quia causa finalis potiùs movet voluntatem ut sit vel fiat; exemplaris verò magis dirigit intellectum præscribendo modum operis faciendi. 3. quia bonum utile, quâ

utile

atile potest esse idæa interna objectiva, non tamen causa finalis 4. quia non requiritur ad essentiam idææ, ut res concepta producatur, sed sufficit, si idæatum vel productum habeat aliquam similitudinem cum illa, aliàs in hominibus plerumque nullæ darentur idææ, sæpe multùm à suo exemplari deflectentibus.

Ob. 2. si datur causa idæalis, tunc etiam datur in Deo, quia Deus etiam priùs concipit res postea faciendas, sed non potest dari talis causa, quia Deus non dependet à creaturis. R. in Deo dari idæas tam effectrices vel formales, hoc est cognitiones divinas cum omnipotentia identificatas, quàm objectivas, à quibus Deus non dependet, nisi cõditionatè h. e. si Deus creaturas vult producere, debet illas producere prout conceperat possibiles.

DE CAVSA EFFICIENTE. INCOMMVNI, ET CREATA.

§. 1. *Quid sit causa efficiens, quid principalis & instrumentalis?*

DIco 1. licet omnes Philos. ad causam

efficientem ista, quæ sequuntur, requirant. 1. ut per actionem influat & producat effectum à se adæquatè distinctum. Sic differt à causis intrinsecis non per actionem sed unionem causantib⁹ effectum h.e. compositum inadæquatè à qualibet parte distinctum. 2. ut independenter à suo effectu habeat suum esse reale; sic distinguitur à causa finali primùm, *ut fiat*, causante. 3. ut primò determinet v. g. ut causa efficiens in modo concurrendi se habeat instar dantis ex abundantia perfectionis, sive ut causa efficiens sit prior à subsistendi consequentia: rectè enim infertur, causa materialis operatur, ergo etiam efficiens sed non vicissim, vel ut à suo influxu formaliter non mutetur, sic differt à causa materiali extrinseca, quæ per suam causalitatem essentialiter immutatur, semper per illationem posterior causa efficiente, & se habet instar mendicantis atque recipientis ex indigentia: licet hæc, inquam, requisita communiter admittant omnes, magna tamen circumfertur copia definitionum: à plurimis causa efficiens propter auctoritatem Philosophi dicitur esse principium, unde primò est motus, hoc est, à quo primò in executione procedit actio; vel sic: causa efficiens est causa strictè physica saltem æquivalenter præscindēs ab intrinseca mutatione sua.

Dico 2.

Dico 2. Causa principalis à variis variè explicatur, multùm litis, & parùm utilitatis afferentib⁹, cùm sit mera quæstio de nomine, ut bene advertit Arriaga; à plurimis illa dicitur causa principalis, quæ est æquè vel magis perfecta, quàm effectus, & ex sua natura habet vim illius productivam, ut ignis A, respectu ignis B, vel respectu caloris. Instrumentalis verò, quæ non operatur ex virtute naturali, sed à Deo elevatur, vel si operatur ex naturali virtute, producit effectum suâ causâ nobiliorem, ut accidens juxta Thomistas respectu substantiæ. Alii volunt, causam principalem esse finem cui, scilicet cui alia concausa deserviat, ut sunt artifices: instrumentalem verò esse medium, ut sunt omnia instrumenta, vel artificiata, v. g. calamus, penicillus, vel moralia, ut est servus respectu domini, creatura respectu Dei, illam ad quidvis producendum elevantis.

Ob. 1. principium, unde primò est motus vel actio, est causa finalis, nam causa efficiens, ne inordinatè agat, debet priùs moveri à fine; ergo causa efficiens malè explicatur per Tò primò: R. disting. à causa finali primò est motus intentionaliter, vel finaliter movendo, concedo; executivè vel realiter, ut à causa jam aliunde existente, nego anteced. & consequentiam.

Ob. 2. In causa efficiente identificata

cum

cum materiali allatum discrimen est nullum, quia implicat eandem causam respectu ejusdem motûs vel actionis esse principium primum & non primum, mutari & non mutari. R. implicare quidem, eandem rem realiter mutari & non mutari, esse primum & non esse primum, formaliter tamẽ impossibile non esse respectu diversorum prædicatorum, eâdem causa reali duplex officium peragente, vel duabus causis realiter distinctis æquivalente, sic idem homo dicitur rationalis & sensitivus propter animam rationalem duobus principiis æquivalentem.

Ob. 3. causa instrumentalis est causa efficiens, sed ab hac primò non est motus, quia determinatur à causa principali: ergo. Respondent aliqui: causam instumentalem licet determinetur à causa principali ad motum, distingui à materiali per hoc, quod per influxum non immutetur. Alii verò, comparationem non debere fieri inter ipsas efficientes, sed inter efficientem, quæ semper se habet per modum dantis, & inter materialem semper instar accipientis se habentem.

Ob 4. anima rationalis vel angel⁹ est causa principalis creata quoad suos actus supernaturales: ergo causa instrumentalis male dicitur illa, quæ non operatur ex virtute natu-

naturali. &c. aliquos negare antecedens, alios concedere, & definitioni causæ instrumentalis superaddere, nisi effectus h. e. terminus ex se petat à tali causa elevata procedere: dixi terminus, quia omnis actio petit esse à sua causa, & sic nulla daretur actio instrumentalis.

§. 2. *Quid sit virtus & causalitas causæ efficientis?*

DIco 1. Virtus cujuscunque causæ, ut supra dixim', est ipsa entitas cujuscunque causæ sive aptitudo vel potentia causandi. Ad hanc constituendam in causa efficiente non sufficit sola æqualitas, vel excessus perfectionis unius rei cum altera, aliàs quivis Angelus haberet virtutem producendi omnia sublunaria: sed plura requiruntur 1. ut virtus causæ efficientis adæquata præcontineat formaliter, vel eminenter totam perfectionem effectûs. & simul causalitatis, sive modi effectum producentis, quia non tantùm effectus, sed etiam ipsa actio procedit ex virtute operantis: propter absentiam hujus perfectionis, quoad modum productivum quantitas in Eucharistia naturaliter conservari non potest. 2. ut nulla adsit ratio, vel spe-

ciale

ciale fundamentum aliquod comprincipium ponendi, hinc licet Deus sit præcontinentia omnis creaturæ, omnis effectûs & modi vel causalitatis aliquid producentis, se solo tamen non potest producere actionem eductivam, aliàs mutaretur Deus, neque se solo potest producere ullum actum vitalem creatum, essentialiter suæ causæ immanentem. 3. requirunt aliqui certam proportionem inter entitatem causæ & effectûs, nobis certè non aliter nisi per experientias sive à posteriori manifestatam.

Dico 2. Causalitas causæ efficientis, si physicè influat, est sola actio; si moraliter, est complexum ex actione & decreto Dei essentialiter totum actum primum representante. Ratio est, quia per actionem producitur effectus & dependet ab hac causa physicè influente, à moralibus verò pendet per decretum Dei ita essentialiter connexum, ut patet ex dictis.

Ob. 1. si effectus essentialiter pendet ab aliqua causa, non debet superaddi alia causalitas v. g. actio; sed omnis effectus vel creatura essentialiter pendet à Deo: ergo non debet superaddi causalitas. Confirmatur, quia actio ideo non producitur per causalitatem distinctam, quia actio essentialiter pendet à sua causa: ergo. R. licet omnis creatura essentialiter pendeat à Deo,

quia

quia tamen indifferens est, an hodie vel cras, an à solo Deo vel non solo, an hoc vel illo modo pendeat, nimirum per creationem vel generationem, ideo per actionem distinctam debet tolli hæc indifferentia. De actione nulla est paritas, quia essentialiter pendet ab hac causa & tali modo.

Ob. 2. Decretum Dei non est unio physica, neque est pars illius unionis: ergo decretum Dei non potest esse constitutivum causalitatis causæ moraliter concurrentis. R. concesso anteced. nego conseq. & paritatem, quia hic nullum sequitur absurdum, ut diximus in thesibus de unione, & nil reperitur aliud, per quod actio cum causis moralibus connectatur, quàm decretum Dei, ergo.

§. 3. *An detur causa efficiens creata, & an substantiæ sint operativæ?*

Dico 1. datur causa efficiens creata. Ita concors omnium ferè doctorum consensus contra pauculos omnem actionem Deo & nullam creaturis adscribentes. Prob. 1. ex Conc. Triden. sess. 6. c. 4. damnante eos, qui dicunt, liberum arbitrium nostrum se ad suos actus habere merè passivè & velut inani-

inanime instrumentum. Prob. 2. quia homo se determinat ad actus bonos vel malos, aliàs si non esset eorum causa, neque esset laude vel vituperio dignus. Prob. 3. quia datur motus localis, & cuilibet evidens est, aliter se habere, quando se movet, & aliter quando movetur ab alio: in motu priore fatigamur, vix in posteriore. Prob. 4. ab experientia; quia nobis est evidens, nos elicere varios actus intellectûs & voluntatis, nos varia objecta antea non cognita cognoscere; varia velle & nolle. ergo datur causa efficiens creata.

Dico 2. substantia immediatè potest producere aliam substantiam & accidentia: sic communis contra Thomistas. Prob. 1. ratione; quia substantia formaliter ut causa æquivoca præcontinet perfectionem effectûs, & nullum efficax affertur argumentum in contrarium, ergo. Prob. 2. ab experientia: videmus enim ignem produci ab igne, leonem à leone: item advertimus accidentia v. g. proprietates produci à substantiis; aqua enim calefacta statim igne remoto incipit se reducere ad frigus: ergo accidens potest produci à substantia; quia nulla alia videtur adesse causa frigoris productiva, non aër circumstans à sole vel igne calefactus, non solares radii, quia potius calefaciunt, non frigus internum, quia hoc

sup-

ſupponitur à contrario extrinſeco expul. ſum; ergo aqua producit in ſe frigus, quod eſt accidens; ergo ſubſtantia poteſt producere accidens.

Ob. 1. creaturæ non competit nobiliſſimus & divinus operandi modus, quem habet cauſa efficiens: hæc enim, ut S. Auguſtinus de Deo loquitur; lib. 1. Conf. c. 4. dat debita nulli debens, donat debita nihil perdens: ergo creatura non operatur efficienter. R. licet cauſa efficiens creata ex ſua virtute aliquid producat, nihil perdēs & accipiens, & ſit præſtantior reliquis cauſis, vel ſe communicantibus, ut cauſæ intrinſecæ, vel ſuam exiſtentiam quærentibus, ut finalis, multùm tamen differt à divino operandi modo; Deus enim ſe ſolo poteſt aliquid producere, & ex nihilo ſubiecti, ſive creativè, neutrum competit cauſæ efficienti creatæ: ergo.

Ob. 2. priùs eſt eſſe, quàm operari: ergo ſubſtantia in primo inſtanti reali non poteſt producere ſuas proprietates, ſed illas accipit à generante, juxta illud, qui dat eſſe, dat etiam conſequentia adeſſe. R. diſting. anteced. prius eſt eſſe, quàm operari prioritate cauſalitatis vel naturæ, h. e. res debet phyſicè exiſtere, ut aliquid cauſet phyſicè, concedo: prius prioritate temporis, nego; & axioma diſting. qui dat eſſe, dat

dat etiã consequẽtia adesse, v. g. proprietates, dat ut causa remota vel moralis, sive ut physicè inadæquata, conced. dat physicè ut causa immediata totalis, nego: ratio est, quia in aliis casibus, quando duæ causæ in eodem instanti reali sunt applicatæ, dicuntur simul agere: ergo idem hîc fieri potest.

Ob. 3. si substantia in primo instanti producit suas proprietates v. g. ignis calorem & siccitatem, tunc datur mutua causalitas, quia calor tanquam dispositio producit formas saltem moraliter, & ab illa in eodem instanti producitur: ergo. R. nego sequelam: ad probationem dico: calorem & siccitatem in actu primo proximo sive in priore reali instanti temporis fuisse dispositiones, non autem in posteriori vel in actu secundo, in quo forma actu existit; in hoc enim, in quo forma vel ignis est productús. calor & siccitas incipiunt esse proprietates.

§. 4. *Quid accidens possit producere & an substantiam?*

Dico 1. accidens se solo potest producere aliud accidens. Prob. 1. quia unum acci.

accidens habet sufficientiam & proportionem ad aliud accidens producendum, nec datur efficax ratio in contrarium : ergo cùm nova fiant accidentia, rectè dicuntur ab ipsis etiam accidentibus produci posse. Prob. 2. ab experientia : quia lux in suo subjecto producit calorem, & calor in aqua ferventi positus, in subjecto extraneo v. g. in manu producit alium calorem: nulla enim apparet alia causa productiva caloris, non ignis jam remotus vel extinctus, non aqua sui frigoris amantissima, non aër sæpe manum non immediatè attingens, aquis immissam, non Deus, uno calore ad alterum efficiendum satis apto.

Dico 2. accidens ut causa adæquata physicè non producit substantiam. Ita communis contra Thomistas. Prob. 1. quia causa adæquata debet effectum suum continere vel formaliter, virtualiter aut eminenter h. e. debet habere prædicata, quæ effectus habet, vel æquè perfecta aut perfectiora, sed nullum accidens habet prædicata substantiæ, aut illis æqualia vel perfectiora : ergo accidens non potest se solo producere substantiam, quia non potest alteri dare, quod nõ habet: ergo. Influxus enim est quædam assimilatio effectûs cum sua causa, ergo quidquid bonitatis est in effectu,

fectu, debet præcontineri in causa. Prob. 2. quia causa instrumentalis non potest agere sine principali, sed accidentia sunt tantùm causæ instrumentales, ut fatentur adversi. ergo. Probo maiorem, quia agens ut instrumentum, vel in virtute aliena operans, physicè non fit melius, sive illa virtus aliena nunc nihil est, vel si realiter sit aliquid, v. g. virtus substantialis, tunc iam accidens se solo non producit substantiam. Prob. 3. quia si accidentia possent producere substantiam, tunc primis 4. qualitatibus competeret virtus effectiva omnium mixtorum sublunarium, per illarum dispositiones producendarum: sed hoc videtur esse supra vilitatem & activitatem accidentium: ergo.

Dico 3. accidens ut coniunctum cum substantia non videtur physicè producere substantiam. Prob. 1. quia substantia sive causa principalis bene applicata, non videtur indigere instrumento physicè influente: ergo accidentibus secundùm se ineptis malè attribuitur tanta virtus producendi specie diversissimas, & innumeras substantias. Prob. 2. quia licet substantiæ ad extra non operentur, nisi dispositionibus instructæ & applicatæ, nemo tamen dicit applicationem, sive approximationem ignis, v. g. esse causam physicam, sive physicè produ-

cere

cere effectum ſubſtantialem: ergo idem dicendū eſt de reliquis accidentibus. Prob. 3. quia licet materia prima non poſſit recipere formas ſubſtantiales ſine diſpoſitionibus, malè tamen inferretur formas partialiter recipi in diſpoſitionibus: ergo præſentia, vel neceſſitas accidentium, quibus ſubſtantiæ excitatæ operantur, non probant influxum phyſicum inadæquatum.

Ob. 1. plurimi dantur effectus ſubſtantiales, qui debent produci ab accidentibus, vel Deus non ſufficientes produxit cauſas ſecundas effectibus naturaliter producendis, v.g. ranis aliiſque inſectis ex putri naſcentibus, plantis ex terra inanimata, apibus ex mortuo bove, & pullis in furno ægyptiaco generatis; ubi nulla datur ſubſtantia creata horum effectuum productiva; ergo Deus voluit hos effectus ab accidentibus phyſicè produci. R. in eiuſmodi caſibus ſupplere Deum abſentiam cauſarum ſecundarum, aliàs aptarum inſtar ſtrenui ducis defectum militum, ſi res ita poſtulaverit, ſupplentis; ſicut enim Deus effectus à ſubjecto independentes v. g. Angelos, animam rationalem, & materiam primam ſolus producit, ſic dependentes quandoque, naturâ ſic exigente, eò facilius producit ſolus, quò certius eſt, etiam juxta adverſarios effectus pleroſque à ſolo Deo conſervari. De-

inde

inde cùm nulla causa secunda proportionata potuerit semper adesse casualibus dispositionum concursibus, idcò nulla debebat ipsis provideri, nisi velis confugere ad solem vel aliam causam universalem, saltem partialiter tales effectus producentem.

Ob. 2. accidens non minus est proportionatum ad substantiam producendam, quàm legatus ad negotia principis peragenda; sed legatus est proportionatus: ergo etiam accidens; quia ad causam instrumentalem sub nomine & virtute causæ suæ principalis operantem non requiritur, ut præcontineat formaliter vel eminenter perfectionem effectûs, quia sicut causa sustentativa juxta omnes non debet continere perfectionem effectûs; sic causa instrumentalis non debet: ergo. R. paritatem inter legatum & accidens factam esse nullam, quia legatus acquisitâ iurisdictione in certis punctis contrahendi fit melior; princeps enim vel rex tantùm est melior quoad jurisdictionem, sed accidens, nisi nova entitas addatur, tam parum redditur melius & magis activum, quàm si cœcus nomine videntis, pigmæus nomine gigantis, vel unus miles nomine totius exercitûs vellet videre, ferre pondus, aut hostem debellare. Probationem disting. causa instrumentalis, vel

sustenta-

ſuſtentativa, non debent continere perfectionem effectûs, debent tamen adjuvari à cõcauſa phyſicè influente nempe à principali, concedo: & ſe ſolis ſine influxu alterius cauſæ perfectionem continentis, poſſunt producere effectum, nego: quia nomine ſubſtantiæ agere eſt titulus ſine vitulo, niſi nova entitas vel realis virtus ſubſtantialis addatur accidenti ſubſtantiam producturo, ſed ſic ſolum accidens non producit ſubſtantiam: ergo.

Ob. 3. quævis creatura poteſt à Deo aſſumi ad quidvis producendum: ergo poteſt Deus accidenti indidiſſe talem virtutem productivam ſubſtantiæ. R. diſting. antec. creatura poteſt quidvis producere per potentiam obedientalem, ut vocant, & cum Deo concedo; ſe ſolo, ſive per virtutem propriam vel naturalem, nego antecedens & conſequentiam.

§. 5. *An cauſa creata habeat ſphæram activitatis, & an poſſit agere in diſtans?*

DIco 1. in rebus creatis certa datur ſphæra vel diſtantia activitatis, ultra quam operari non poſſunt, non tamen in omnibus eadem. Prob. 1. quia creaturæ habent limitē perfectionis, vel terminū: ergo etiam habent limitē operationis, quia operari ſequitur

quitur ad esse. Probatur 2. ab experientia, quia aliquæ substantiæ & qualitates sunt magis & in majorem distantiam activæ, quàm aliæ; sol enim plus utique operatur, quàm Venus aut Mercurius &c: flamma latè diffusa plus efficit, quàm brevis facula. Dein dantur qualitates, quæ operantur circumcirca, ut calor, suffitus &c. Aliæ, quæ per lineam rectam operantur, ut lux, impulsus, & species visuales. Probatur 3. quia agens qualitates producit uniformiter difformiter, h. e. agens operando per spatium uniformiter sive semper decrescit, ut patet in candela pro ratione distantiæ, sicut noctu advertimus, minus lucis producente: agit etiam difformiter h. e. per palmos spatij decrescit inæqualiter, ut iterum constat ex duabus candelis in termino suæ activitatis collocatis, quæ, teste experientia, non æqualiter illuminant totum medium, quod utique fieret, si in quovis palmo spatij esset decrementum per æquales partes: ergo.

Dico 2. naturaliter non datur actio in distans, sive agens non potest naturaliter aliquid producere in passo, cui non est applicatum immediatè, vel per suppositum, hoc est, per entitatem causæ, vel per virtutem h. e. effectum saltem dispositivum vel concausam. Probatur 1. ex universali judi-

cio

cio, quo noxiam aliquam impressionem ab extrinseco passi, putamus causam esse præsentem, & ideo ex instinctu vel lumine naturæ determinati, fugam arripimus localem: ergo non datur actio in distans, aliàs à natura decepti, frustra fugeremus. Probatur 2. quia ad limitatam agentium naturam spectare videtur, ut non agant, nisi per medium, aliàs sequeretur ingens rerum confusio, & conflictus inter causas contrarias, se mutuò impedientes. Nec sciremus, an effectus à causa remota vel proxima esset productus. Probatur 3. quia experimur, causam pro diversitate applicationis magis vel minus operari, & quando neque per se, neque per virtutem est applicata, operari nihil. Hinc sol, clausis fenestrarum valvis, in cubili lucem producere non potest, impeditâ per murum & valvas solis applicatione. Probatur 4. quia si daretur actio in distans, assignari non posset certa agendi sphæra vel mensura, quia causa suam virtutem per medium non insumeret, integra post quamvis localem distantiam futura. Neque natura vitato vacuo tantopere omnium mundi partium desideraret conjunctionem, propter virtuosas qualitates ab agentibus per medium diffundendas, quia si daretur actio in distans, causa posset tran-

to medio effectum, quem vellet, producere.

Ob. 1. vis magnetica attrahit ferrum distans, & magnes rapitur versus stellam polarem. Succinum vel electrum attrahit palcas, torpedo, arrepto hamo, stupidum reddit brachium piscatoris, luscinia attrahitur in os serpentis, mustella in os bufonis, tympanum ex ovili pelle confectum dissoluitur ad pulsū tympani facti ex lupina, taurus ferociens ad ficum arborem alligatus mansuescit &c. ergo datur actio in distans. R. conceſſo antec. nego conseq. quia omnes allatæ instantiæ vel causæ applicantur passo per virtutem aliquam, per medium diffusam, quam Philosophi vocant qualitatem insensibilem vel occultam, RR Medici profluvium, impressionem sive idæam spiritûs h. e. formæ substantialis, quæ in medio sive in proximo passo plerumque propter diversam dispositionem materiæ, & naturam qualitatis emissæ ejusmodi effectus producere non solet, non secus ac fieri amat in calore non lutum, sed ceram liquefaciente, aut in præsentia felis etiam occultatæ aliquibus hominibus nihil, aliis multum molestiæ v.g. sudorem & deliquium afferentis.

Ob. 2. unguentum armarium longissimè absentis vulnera curat, soli gladio aut

strophio-

ſtrophiolo ſanguine aſperſo applicatum, ut certiſſima teſtatur experientia: ergo datur actio in diſtans. Reſpondeo diſting. antecced: curat phyſicè & ex propria virtute, nego, curat vel influit moraliter, vel ut conditio propter pactum; quod Paracelſus hujus unguenti auctor (teſte Schotto & aliis) dæmoni multùm familiaris feciſſe dicitur, concedo. Nam ſola experientia & fœlix curatio non probat intentum, ſcilicet tantam huic unguento ineſſe virtutem ſanandi, quia eodem jure quævis ſuperſtitioſa dici poſſent naturalia; nam ſchedâ Paſſavienſi devoratâ, caro indureſcit ad quandam ſoliditatem, telis & glandibus imperviam. ſic teſtatur experientia: eodem modo ſi ſagæ ſuas ollas ebullire faciunt, cœlum ſpiſſis nubibus implent, tam inflammato quàm frigidiſſimo impulſu tamdiu altercantibus, donec furorem bene coctum cum ingenti pernicie in deſignatos effundāt campos. Sic teſtatur experientia. Si ſaga equos, quibus utitur, ligneos conſuetis illinat unguentis, ſublimis effertur in auras eò, quò nocturnus traxerit conventus, volatura; ſic teſtatur experientia. Si præſtigiæ ex verbis, crucibus, herbis aut lapidibus adhibeantur, ſuum ſæpe obtinent effectum; ſic teſtatur experientia. Quis propterea unquam auſus eſt dicere, ejuſmodi rebus ineſſe naturalem

ralem virtutem taliũ effectricem. Vnde luculenter patet, quòd solâ hujus unguenti experientiâ plus non probetur, quàm dari aliquam causam vulneri medentem vel nigram & suo auctori similem, vel candidam; sed si experientia huic pharmaco nil amplius patrocinatur, nulla superest ratio, nisi fortè dubiæ instantiæ, æquè obscuro calculo notandæ: ergo causa vulneris physicè sanativa non est candida, sive unguentum non habet virtutem à Deo acceptam remota vulnera sanandi.

DE CAVSA INCREATA.

§. 1. *An causa prima, sive Deus naturaliter possit demonstrari?*

Dico 1. Deus naturaliter demonstrari potest. Prob. 1. ex lumine naturæ, & dictamine rationis, ac communi iudicio hominum in necessitatibus suis ad unum Deum confugientium. Certè quilibet intellectus iudicat, esse dignissimum, ut sit ens carens omni defectu, sive ut sit ens habens omnem & puram perfectionem: & simul quævis voluntas inclinatur ad optandum, ut detur tale ens: ergo tale ens non

debet esse impossibile: ergo defacto datur: quia si tale ens necessariò existens sit possibile, utique dabitur: ergo. Prob. 2. quia datur ens productum; ergo improductum antecedi quoad plurima est physicè. & quoad aliqua est metaphysicè evidens. Conseq. prob. nempe dari ens improductum, quia quidquid est productum, est ens ab alio, v. g. filius à patre, pater ab avo, & sic deinceps: ergo debet dari aliquod primum, quod à nullo existit, & habet omnem perfectionem communicabilem; si enim non haberet illam, non posset producere, quia nemo dat, quod non habet: ergo. Prob. 3. quia datur ens contingens, sive contingenter existens, ut sunt creaturæ: ergo debet dari ens à se, vel existens necessario; quia ens contingens est indifferens, & indifferens ad existendum non potest esse sui ipsius determinatio ad existendum; aliàs esset, & non esset indifferens: ergo debet aliunde determinari, nimirum ab ente necessario: ergo si datur ens contingens, debet dari ens necessarium. Prob. 4. vel confirmatur: quia si non daretur Deus, vel ens à se, tunc vel admittenda foret mutua causalitas quoad primum sui esse; sed hæc, ut suprà vidimus, propter evidentem contradictionem implicat; vel processus creaturarum in infinitum, quo etiam malè admisso adhuc

probatur Deus, quia quævis creatura est contingens, & ab alio: ergo tota collectio est contingens & ab alio; creatura enim per accessum & additionem aliarum etiam infinitarum creaturarum, non desinit esse creatura: ergo omnes creaturæ sive tota collectio est ab alio: ergo debet dari causa prima vel Deus.

Ob. 1. illatio à sensu distributivo ad collectivũ non semper valet: ergo, licet singulæ creaturæ seorsim sumptæ sint ab alio, non tamen sequitur, quòd tota collectio sit ab alio; sicut enim non sequitur; singuli lapides à Petro sunt portabiles, ergo omnes lapides simul sumpti sunt à Petro portabiles; ita non sequitur: singulæ creaturæ sunt ab alio, ergo omnes sive tota collectio est ab alio. R. omnibus certum, & evidens esse, aliquando valere illationem à sensu distributivo ad collectivum. sive aliqua prædicata, sicut verificantur de singulis alicujus collectionis, ita verificari de tota collectione. Regula discernendi, utrum talis illatio valeat, vel non valeat? hæc potest assignari: quotiescunque prædicatum convenit singulis, quatenus habent negationem aliorum, tunc non valet illatio: hinc licet belli dux (idem dic de Petro quoad lapides) possit superare quemvis militem, intellige, quatenus opponitur toti collectioni,

ctoni , ſive quatenus habet negationem reliquorum auxiliantium, non tamen valet illatio , ergo poteſt omnes &c. contra ſi prædicatum non convenit ſingulo, quatenus opponitur toti, vel quatenus habet negationem reliquorum, ſive quando per acceſſionem plurium nec creſcit, nec minuitur prædicatum, aut difficultas illius, tunc valet argumentatio à ſenſu diſtributivo ad collectivum: ſed in noſtro caſu prædicatum Tò eſſe productum ab alio ita ſe habet, ſive non minuitur per acceſſum alterius producti, quia produci ſonat indigentiam ſui, & beneficium alterius. ſed hoc habet omnis creatura, ſive ſola & unica exiſtat ſive exiſtant plures & infinitæ: ergo.

Ob. 2. Ex contingenti non poteſt ſequi neceſſarium: ſed exiſtentia creaturæ eſt contingens; ergo ex creaturæ exiſtentia non poteſt ſequi vel probari neceſſarium: atqui Deus probatur ex contingenti exiſtentia creaturæ: ergo Deus non poteſt probari, ut exiſtens neceſſariò; ſed ſi Deus non exiſtit neceſſariò, tunc jam non eſt Deus, ergo. R. cum diſtinctione: ex contingenti non poteſt ſequi neceſſarium, inferendo identitatem extremorum propter identitatem cum medio, concedo; inferendo propoſitionem abſolutam ex conditionata, nego. Vel ſic: ex contingenti non poteſt

ſequi neceſſariũ in ſyllogiſmo categorico, vel ſyllogiſmo recto, ita ut creatura ſit medius terminus in recto poſitus, & inferatur hæc propoſitio: Deus exiſtit; concedo; non poteſt ſequi in ſyllogiſmo obliquo & compoſito, nego majorem, & conceſſâ minore, eodem modo ſicut antè diſtingui debet conſeq: ergo. Syllogiſmi, quibus Deus probatur, poſſunt eſſe ſequentes: ſi datur creatura, datur Deus, ſed datur creatura, ergo datur vel exiſtit Deus: vel ſic: ſi exiſtit ens producens creaturam, tunc exiſtit Deus: ſed exiſtit ens producens creaturam: ergo exiſtit Deus. Prior ſyllogiſmus utitur hoc principio metaphyſico; ſi aliquid eſt verum ſub conditione, etiam verum eſt poſita conditione: poſterior regulatur illo noto principio metaphyſico: quæcunque ſunt eadem uni tertio &c.

Ob. 3. quanta eſt neceſſitas propoſitionis conditionatę, tanta eſt propoſitionis vel veritatis abſolutæ: ſed creaturam exiſtere, vel ſi creatura exiſtit, exiſtit Deus, eſt propoſitio contingens: ergo Deus exiſtit (quæ eſt propoſitio abſoluta) eſt contingens: ſed qui tantùm probat, Deum exiſtere contingenter, non probat Deum: ergo. R. diſting: mai. quanta eſt neceſſitas propoſitionis conditionatæ, tanta eſt abſolutæ, ſi abſolutæ neceſſitas pendeat à conditionata

ut

ut à ſua cauſa, vel à priori, concedo, ſi non pendeat ab aliqua, ut à ſua cauſa, nego mai. & ſic diſtincta min. nego conſeq.

Inſtabis: ſi aliqua res pendet, vel probatur per ens contingens, tunc illa, non eſt certior quàm ens contingens, ſive illud contingens ſit prius ſive poſterius naturâ: ſed Deus probatur per ens contingens, nempe exiſtentiam creaturæ: ergo Deus non exiſtit certiùs quàm creatura. Vnde ſequitur, Deum tantùm contingenter exiſtere: mai. videtur eſſe certa, quia ſol non exiſtit certiùs quàm lux, forma materialis non eſt certior quàm ſubjectum, vel materia prima: ergo. R. diſtinq. ſi aliqua res probetur per ens contingens, tunc illa non eſt certior, quàm ens contingens, ſi ita per illud probetur, ut non æquè probetur per ejus oppoſitum, concedo; ſi æquè per oppoſitum probetur, nego mai. & diſtinq. min. Deus probatur per ens contingens, h. e. per exiſtentiam creaturæ, ita ut æquè probetur per oppoſitum, h. e. contingentem negationem creaturæ, concedo, ut non probetur per poſſibilitatem, vel contingentem negationem, nego min. & conſeq. Inſtantiæ, pro confirmatione majoris allatæ, nihil probant, quia ſol non æquè pendet à negatione lucis, quàm ab ipſa luce: & forma non æquè pendet à negatione materiæ,

quàm ab ipsa materia: Deus verò æquè pendet vel probatur per contingentiam negationis, quàm per contingentiam limitatæ existentiæ; quia si datur possibilitas creaturarum, vel negatio contingens, tunc illa, quia est contingens, debet posse poni vel tolli, sed si potest poni vel tolli, tunc jam dabitur prima causa rerum possibilium productiva, & negationum sublativa: ergo Deus rectè probatur ex contingentia creaturarum.

§. 2. An, & quomodo Deus immediatè concurrat ad omnes effectus?

Dico 1. Deus immediatè concurrit ad omnes effectus, sive creaturas producendas. Ita Philos. & Theol. omnes contra Durandum. Probatur 1. ex S. script. Ioan. 1. omnia per ipsum, h. e. Deũ, facta sunt, & sine ipso factũ est nihil: ad Corinth. 12. qui operatur omnia in omnibus. Quòd autem sacer text⁹ loquatur de immediato cõcursu Dei, testantur SS. Patres, apud Suarez & alios citati. Probatur 2. quia si Deus non immediatè concurreret, nõ haberet perfectissimum dominium in creaturas; istas enim actiones & effectus, quos immediatè non produceret, non posset immediatè impedire aut destruere: Deus enim ad effectum

impe-

impediendum, deberet vel agens, vel paſſum, vel utriusque approximationem deſtruere, vel aliquam qualitatem deſtructivam producere: ſed hoc eſt contra ſupremum dominium Dei, qui ex mera ſua voluntate & beneplacito debet operari, & ſuſpendere poſſe omnes actiones creaturarum, ſicut contigit in flammis babylonicis in tres pueros nihil agentibus, negato Dei concurſu. Probatur 3. quia implicat creatura, quæ à Deo non immediatè pendeat: ſed omnes actiones & effectus ſunt creaturæ: ergo omnes immediatè pendent à Deo: maior videtur eſſe certa, quia omnis creatura eſt ens participatũ, & eſſentialiter ſubjectum dominio Dei, & omnis creatura debet eſſe glorioſa Deo, commendans continuam, quamdiu exiſtit, & indefeſſam omnipotentiæ divinæ liberalitatem: ergo, ſicut Deus eſt eſſentialiter & immediatè à ſe, ſic decet, ut omnis creatura ſit eſſentialiter & immediatè à Deo.

Dico 2. Deus cum cauſis ſecundis influit in effectum per eandem actionem. Probatur 1 quia actio creaturæ eſt inſufficiens ad aliquid producendum, nihil enim poſſumus ex nobis: ergo. Probatur 2. quia omnis creatura immediatè producitur à Deo, propter ſummum Dei dominium, & ſubjectionem creaturæ: ſed omnis actio

crea-

creaturæ est creatura : ergo omnis actio creaturæ immediatè producitur à Deo. Probatur 3. quia eadem actio potest procedere à diversis causis creatis in eundem effectum influentibus ; sicut enim eadem actio essentialiter respicit causam & effectum , sic respicere potest causam primam & secundam , ergo non est ratio , cur Deus non influat per eandem actionem. Probatur 4. quia si actio Dei & creaturæ essent diversæ & realiter distinctæ, idem effectus generaretur & crearetur : actio Dei esset creatio ; Deus enim se solo nihil potest educere; actio verò creaturæ esset generatio , quia modus creandi non competit creaturis.

Ob. 1. Causæ secundæ sæpe adæquant, imò superant in perfectione suos effectus: ergo immediatus Dei concursus non est necessarius. R. concesso antecedente , distinguo consequens, immediatus Dei concursus non est necessarius ratione perfectionis saltem specificæ, concedo ; non est necessarius ratione creaturæ , essentialiter exigentis dependere ab actuali exercitio liberalitatis divinæ, nego.

Ob 2. ad rationem creaturæ & dominium Dei non requiritur , ut creatura pendeat à Deo, ut causa ; sed satis est, si pendeat à Deo, ut conditione, nempe à permissione & volitione divina : ergo Deus non immediatè

diatè physicè concurrit ad omnes effectus. Sed contra est 1. quia creatura debet à Deo dependere summo & perfectissimo modo; sed plus est à Deo tanquam à causa dependere, quàm tantùm à conditione. 2. quia non potest ostendi officium huius conditionis; volitio enim divina nihil agit, sed tantùm applicat omnipotentiam ad cooperandum: ergo præter volitionem vel nolitionem debet Deus, ut agat, addere influxum immediatum, vel, ut impediat, debet immediatum influxum subtrahere. 3. quia sic effectus deficiente causâ secundâ tam parùm immediatè conservaretur à Deo, quàm artefactum ab artifice, quod tamen est contra Durandum, & reliquos omnes, saltem Catholicos.

Ob. 3. si Deus per eandem actionem influit, tunc eadem actio potest esse immanens & transiens, vitalis & non vitalis, universalis & particularis, sed hoc videtur esse absurdum: ergo. R. disting. mai. eadem actio, quâ Petrus v. g. cum Deo suam cognitionem producit, erit talis respectu diversorum principiorum inadæquatè concurrentium, concedo; respectu eiusdem principij nego. Actio productiva cognitionis creatæ respectu Petri est immanens, vitalis, particularis, respectu Dei est transiens, non vitalis & universalis, quia Deus actionem

nem non recipit, & concurrit influxu omnibus agentibus creatis communi, propter rationem creaturæ, vel entis limitati, ergo respectu Dei dicitur actio, transiens non vitalis & universalis.

§. 3. An omnes creaturæ conserventur à Deo, & an elevari possint ad quidvis producendum, vel creandum?

Dico 1. sicut Deus omnes creaturas producit, sic per influxum realem conservat: ita omnes, saltem Catholici. Probatur 1. quia creatura se habet respectu Dei, sicut lux in aëre respectu solis, sed talis lux conservatur à sole; sole enim remoto, nec per momentum subsistere potest: ergo. Probatur 2. quia creatura est insufficiens ad se conservandum; conservatio enim nihil est aliud, quàm continuata productio, sive est actio præsupponens aliam actionem eiusdem termini productivam: ergo. Probatur 3. quia si creatura non conservaretur à Deo, saltem partialiter, tunc Deus in hanc creaturam non haberet absolutum & perfectum dominium; illam enim non posset Deus immediatè destruere, quia prius destruenda foret causa talis creaturæ conservativa:

vativa : sed hoc est contra rationem entis participati sive creaturæ, ut vidimus suprà ; ergo.

Dico 2. Deus creaturam elevare potest ad quidvis producendum, imò ad creandum, nisi obstet specialis repugnantia. Sic communis. Probatur 1. quia anima rationalis utiq; potentia naturalis non tantùm sustentat actus meritorios supernaturales, sed illos (ut docet Trident. sess. 6. can. 4.) activè, & liberè producit : deinde piscina probatica potuit physicè sanâsse quoscunque infirmos : lutum & sanctissima Christi saliva potuit cæco nato dedisse potentiam videndi : sacramenta novæ legis physicè producere possunt gratiam sanctificantem : ergo quævis creatura potest elevari ad quoscunque alios effectus producendos. Probatur 2. quia hæc elevatio est gloriosa Deo, Sanctos propter excellentiam virtutis ad patranda miracula elevanti ; non tantùm, ut causas morales, & meritorias, sed etiam ut causas physicè influentes ; sagis econtra mirabiles suos effectus non physicè, sed tantùm moraliter causantibus. Probatur 3. quia spectat ad perfectionem Dei, posse operari perfectissimè cum quovis instrumento ; quò enim nobilius est agens principale, eò viliore potest uti instrumento ; ergo potest Deus per indebitum & specialem

cialem concursum in consortium adlegere quamvis creaturam ad quidvis generandum vel creandum. Probatur 4. quia causa naturalis perfectior potest elevare imperfectiorem, v. g. anima potest elevare species impressas ad actus vitales efficiendos: ergo Deus tanquam causa principalis potest supplere imperfectionem instrumenti, vel per auxilium intrinsecum, sicut contingit in anima rationali per gratiam & habitus supernaturales elevatâ ad effectus altioris ordinis producendos; vel per auxilium merè extrinsecum, assistente Deo per fortiorem influxum, quia ut creatura physicè producat effectum qualemcunque, plus non requiritur, quàm ut actio productiva effectûs essentialiter, immediatè & determinatè respiciat creaturam; sed nulla apparet ratio, cur Deus non possit per talem actionem ita respectivam producere effectum: ergo.

Ob. 1. artifex humanus suum opus productum non debet conservare: ergo idem dici debet de Deo suas creaturas producente. R. concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem: quia Deus propter absolutissimum dominium, & infinitam virtutem (quæ operando fatigari non potest) & propter indispensabilem, atque immediatam subjectionem creaturæ semper

debet

debet concurrere ; ſicut enim nihil poteſt produci ſine Deo , ſic ſine illo nihil debet conſervari. Artifices verò limitati, quia fatigantur & impediuntur ab aliis actionib⁹, debent poſſe aliqua uſui humano neceſſaria producere ſine ulteriore operatione conſervativa, ergo.

Ob. 2. ſi quævis creatura per indebitum concurſum poteſt elevari ad quidvis producendum, tunc oculus poteſt cauſare auditionem, & lapis viſionem : ſed hoc videtur abſurdum , quia ſic lapis videret, & oculus audiret. Reſpondeo, licet lapis cum principio vitali poſſit producere viſionem, & oculus auditionem, non tamen ſequitur, quòd oculus audiat, & lapis videat , quia denominatio audientis & videntis eſt effectus formalis, coaleſcens ex forma & ſubjecto apto vel capaci: ſic licet lumen gloriæ, & ſpecies impreſſæ concurrant ad actus vitales , per illos tamen non denominantur vivere ; eodem modo , licet lapis reciperet gratiam ſanctificantem. & Angelus albedinem, lapis tamen propterea non reſtè diceretur gratus, nec Angelus albus.

Ob. 3. ſoli Deo proprium eſt producere, quidquid non implicat: ergo creatura non poteſt elevari ad omnia producenda ; aliàs creatura eſſet omnipotens. R. cum diſtinctione : ſoli Deo proprium eſt producere,

cere, quidquid nòn implicat, per virtutem propriam, vel per potentiam positivam, concedo; per alienam virtutem, vel per potentiam merè negativam, sive per non repugnantiam, nego antecedens & consequentiam. Nec propterea creatura est omnipotens, præsertim cùm elevari non possit ad seipsam primò producendam, neque ad actiones aliarum causarum. Deinde posset fortè dari actus fidei supernaturalis de se judicans, se non posse ad omnia producenda elevari. Hic actus, cùm essentialiter sit verus, propter prædicatum in se reflexivum, haberet contractam potentiam, vel impotentiam obedientialem.

§. 4. An Deus causas secundas physicè prædeterminet ad operandum?

Dico. Deus causas secundas physicè non prædeterminat, h. e. Deus causis liberis in actu primo non infundit talem qualitatem, quæ tanquam complementum virtutis activæ infallibiliter secum trahat effectum. Sic communissima contra Thomistas. Hæc conclusio à Theologis probari solet ex S. scriptura, Conciliis, SS. Patribus, & ex ipso S. Thoma; nos his omissis rationes afferemus. Itaque probatur 1. quia causa

sa necessaria omnibus aliis ad agendum requisitis instructa, non indiget qualitate superaddita prædeterminante: ergo neque causa libera sic instructa indigebit; eoipso enim, quòd sit libera & expedita, seipsam per actuale exercitium libertatis determinare potest: ergo. Probatur 2. quia sic illi, qui peccant, non haberent auxilium sufficiens ad peccata evitanda: vel enim carent qualitate prædeterminante, vel non carent; si carent, tunc causa libera juxta Adversarios non est sufficiens & proximè potens operari, si non carent, tunc non peccant, qualitate infallibiliter oppositum effectum secum trahente. Probatur 3. quia concursus prævius, vel præmotio physica tollit libertatem; tollit enim indifferentiam ad agendum; ergo non potest admitti. Antecedens probatur, quia apud omnes certum & indubitatum est, ad essentiam causæ liberæ requiri, ut omnibus positis ad agendum prærequisitis, & stantibus illis (adeóque in sensu composito) possit agere & non agere; sed positâ prædeterminatione physicâ efficaciter & infallibiliter voluntatem ad agendum trahente, causa aliàs libera, non potest agere, & non agere: ergo posita & stante prædeterminatione physica, causa non est libera. Cõfirmatur: quia ideo lumen gloriæ & visio intuitiva Dei in beatis tollit liber-

tatem, quia visio intuitiva est ex parte actûs primi, & beatos infallibiliter determinat ad amandum Deum: sed præmotio vel prædeterminatio physica est ex parte actûs primi, sive pro priori signo naturæ, & hominem infallibiliter determinat ad effectum: ergo præmotio tollit libertatem. Probatur 4. quia admissâ hâc prædeterminatione, si detur adhuc peccatum, tunc Deus est auctor illius, ut voluit Calvinus à Concilio Tridentino damnatus: sequela probatur, quia Deus causas secundas præmovet, vel prædeterminat ad omnes & singulas actiones, ut fatentur Adversarij: ergo etiam ad actum intrinsecè malitiosum, v. g. ad blasphemiam & odium Dei; ergo Deus, vel ille est auctor peccati, qui creaturam maligna qualitate fascinatam, nolentem volentem, efficaciter & infallibiliter rapuit ad peccatum, ut dixerat Calvinus; ergo Deus est auctor peccati, vel non datur prædeterminatio physica.

Objicies 1. omne agens secundum, essentialiter subordinatur primo, & ab illo non tantùm dependet in esse entis, sed etiam in ratione operationis; ergo debet ab ente primo physicè prædeterminari, quia Deus, affirmante Philosopho, est primus motor immobilis, & omne, quod movetur, movetur ab illo; ergo. R. concesso antecedente,

cedente, nego consequentiam: ad probationem dico: Deum recte dici primum motorem immobilem, quia ens est à se, à quo reliqua omnia producuntur, & quatenus dat illis virtutem motricem, & sine illius simultaneo influxu moveri non possunt, rectè ab illo omnia moveri dicuntur.

Objicies 2. Deus est causa prima, vel principium primum agens: ergo debet prævio influxu, sive præmotione physica causam secundam determinare, quia, ut S. Thomas loquitur 1. secundæ, q. 3. a. 2. voluntas nostra ad suum actum se habet, ut mota, Deus verò, ut movens. R. distinguo antecedens: Deus priùs agit ex multis titulis. 1. prioritate dignitatis. 2. naturæ, quia producit causam secundam, & cum illa causat effectum. 3. prioritate Logica, vel illationis; valet enim consequentia: operatur creatura, ergo Deus, sed non viciſſim, concedo antecedens: priùs agit in sensu Thomistarum, nego antecedens & consequentiam. Ad ultimum dico, quòd S. Thomas nihil aliud intellexerit, quàm quòd causa secunda non possit agere, nisi priùs mota, h. e. adjuta & instructa gratiis excitantibus, cognitionibus & illuminationibus, quas Deus suæ creaturæ subordinatæ immittere potest pro libitu.

Objicies 3. licet prædeterminatio physica

sica tollat libertatem, vel indifferentiam potentialem sive habitualem, ut loquuntur Thomistæ, quæ consistit in eo, quòd voluntas nō magis inclineturad unam quàm alteram partem, cum suspensione & privatione omnis actûs, non tamen tollit indifferentiam actualem; quia prædeterminatio est motio quædam sive influxûs per modum transeuntis, receptus in causa secunda, séque accommodat genio & conditioni causæ secundæ. Causam necessariam quidem determinat per modum naturæ, h.e. hanc causam non tantùm facit operari infallibiliter, sed etiam necessariò, sine potentia ad oppositum: causam verò liberam determinat per modum liberi, h. e. facit illam agere infaliibiliter quidem, sed liberè & cum potentia (in sensu diviso) ad non agendum, vel agendum oppositum. Iuxta aliquos Thomistas hæc prædeterminatio dicitur esse qualitas virtuosa se tenens ex parte actûs primi: juxta alios dicitur esse mera applicatio causæ secundæ, quoad actum secundum essentialiter subordinatæ, & per talem præmotionem dependentis à causa prima. Respondeo: licet præmotio physica sit influxus transiens, & fluens cum ipsa operatione ad quam datur, & se quomodocunque insinuet genio causæ secundæ, quia tamen independenter à causa

ſa ſecunda datur, infallibiliter ſecum trahens & producens operationem cauſæ ſecundæ, ideo tollit libertatem vel indifferentiam actualem cauſæ ſecundæ, quia poſita & ſtante prædeterminatione phyſica tam parum homo viator eſt indifferens vel liber ad agendum vel non agendum, quàm beatus in cœlo ſtante viſione intuitiva Dei ſit liber vel indifferens ad amandum Deum.

Inſtabis: actualis determinatio non tollit libertatem, vel actualem indifferentiam: ſed prædeterminatio phyſica eſt actualis influxus vel determinatio: ergo non tollit libertatem vel actualem indifferentiam. R. diſtinguo majorem: actualis determinatio non tollit libertatem reſpectu ſui, & ſuæ cauſæ liberæ, concedo; non tollit libertatem quoad effectum infallibiliter ſecuturum, nego majorem: & tranſmiſſa minore, diſtinguo conſequens: prædeterminatio actualis non tollit libertatem ratione ponentis prædeterminationem, concedo conſequentiam; ratione creaturæ præmotæ, vel quoad operationes creaturæ, quas prædeterminatio cauſat vel infallibiliter ſecum trahit, nego cõſequentiam: nam ſicut viſio beatifica eſt actualis determinatio, & tamen neceſſitat ad amorem Dei; & ſicut volitio humana, licet ſit

actualis & libera determinatio, tamen necessitat voluntatem ad speciem sui producendam; sic prædeterminatio, quia est prior naturâ, & infallibiliter secum trahit operationem creaturæ, ideo necessitat creaturam; prædeterminatio enim non est operatio, vel actuale exercitium causæ secundæ, sed est aliquid præsuppositum necessitans, & hoc admisso creatura non potest agere, & non agere, sed debet agere: hoc verò ablato, creatura non est potens agere; ergo Thomistæ, dum volunt causam liberam reddere potentem vel in operando dependentem, faciunt necessariam.

§. 5. *Per quale decretum Dei applicetur omnipotentia ad effectus producendos?*

SVppono 1. Omnipotentiam Dei non exire in actum, sive non esse expeditam ad effectum producendum, nisi applicetur per aliquod decretum Dei.

Suppono 2. Deo communiter duplicem, vel triplicem attribui scientiam, scilicet necessariam, vel scientiam simplicis intelligentiæ, & contingentem, sive scientiã visionis, & scientiam conditionatam, vel mediam. Scientia simplicis intelligentiæ

est

est illa, qua Deus cognoscit omnium rerum essentiam & possibilitatem , h. e. quid & quomodo in quavis circumstantia aliquid sit possibile. Scientia visionis dicitur illa, qua Deus cognoscit omnia præsentia, præterita, & futura. Scientia denique media, vel conditionata est, qua Deus cognoscit, quid futurum esset , si istæ vel istæ conditiones ponerentur, quæ conditiones , vel circumstantiæ , quia nunquam ponentur, ideo futuritio talium effectuum nunquam subsequetur ; sic Deus vidit Davidem hosti tradendum, si Ceilæ mansisset ; sic multi immaturâ morte sublati sunt, ne malitia mutaret intellectum.

Suppono 3. In Deo dari unicum decretum liberum 1. quia Deus antecedenter ad omne decretum liberum habet scientiam mediam de omnibus eventibus, & combinationibus ; ergo Deus omnia simul decernit. 2. quia Deus quoad omnes creaturas producibiles, quę sunt objectū materiale, vel terminativum, unicum habet motivum vel objectum formale , nempe suam bonitatem infinitam. 3. quia , quò perfectius est principium cognoscitivum , cò plura unico actu indivisibili attingit : ergo , cùm modus cognoscendi & volendi in Deo sit perfectissim⁹, Deus omnia simul volet vel repudiabit.

Dico 1. Deus ſuam omnipotentiam ad operandum non applicat per decretum confuſum, ſe tantùm extendens ad actum in communi, 1. quia realiter nullus poſſibilis eſt effectus, vel actus genericus: & quia Deus ſic indifferenter concurreret ad actum bonum & malum, auctor utriuſque futurus. 2. nec per decretum abſolutum, & antecedens omnem productionem effectûs, quia cum tali decreto tam parum ſtare poſſet libertas, vel indifferentia voluntatis creatæ, quàm cum prędeterminatione phyſica, antè refutata; nam poſito tali decreto ad unum determinato, voluntas creata non poſſet ea facere, quæ omittit, deſtituta parato Dei concurſu ad ea facienda. Deinde hoc decretum eſſet inimpedibile, pro priori ſigno naturæ poſitum, & infallibiliter trahens effectum: ergo. 3. Deus ſuam omnipotentiam non applicat per decretum merè & formaliter conditionatum, quo Deus dicat: volo concurrere, ſi voluntas creata voluerit, quia tale decretum ſupponit, quaſi creatura poſſit velle ſine concurſu Dei, deinde quia voluntas purè conditionata, quamdiu manet conditionata, eſt inefficax, & nunquam poſitura effectum, vel actualem concurſum. Tandem, quia ſic Deus ſuppoſito, quòd actio Dei & creaturæ ſit eadem, per decretum diceret; volo con-

curr

currere, si voluero concurrere. 4. non per decretum merè & proximè indifferens ad disjuncta, quia voluntas merè indifferens ad disjuncta, non habet effectum, sed voluntas, qua Deus proximè hîc & nunc applicat suam omnipotentiam, habet effectū determinatum, ad unam partem disjunctionis : ergo voluntas, vel decretum Dei non potest esse merè vel proximè indifferens ad disjuncta, aliàs, si æqualiter terminaretur ad disjuncta, tunc vel poneret nihil, vel utrumque effectum contradictoriè oppositum : ergo Deus suam omnipotentiam non applicat per decretum merè indifferens, vel disjunctivum.

Dico 2. Deus suam omnipotentiam proximè applicat per decretum absolutum, & æquivalenter conditionatum, & disjunctivum v.g. volo concurrere cum homine ad actus bonos A B C, vel malos etiam certos, illos desiderans, istos detestans, nihil tamen addendo, vi cujus ad alterutrum determinetur. Vel sic : quia vidi per scientiam mediam, quòd creatura libera in istis & istis circumstantiis posita eliceret actum bonum, suo tempore statuo vel decerno tales circumstantias ; si verò actus, quem Deus prævidet, sit peccaminosus, ita Deus decernit : licet videam, Petrum, si in istis circumstantiis positus haberet

beret talem illuminationem, ſocios &c. eſſe peccaturum, & licet ille actus peccaminoſus ſit contra meum votum, conſilium, vel expreſſum mandatum, cum Petro tamen in iſtis circumſtantiis conſituto concurram ad peccatum, libentiùs ad oppoſitum concurſurus: prius decretum vocari ſolet prædefinitivū, poſterius verò quoad actus malos permiſſivum. Bonitas concluſionis habetur ex eo. 1. quia ſic diſſidentium auctorum ſententiæ conciliantur. hoc decretum eſt antecedens, abſolutum, & determinatum, ſed non ſimpliciter, quia pendet à conditionata præviſione illorum effectuū, quos voluntas creata liberè eſt factura. 2. quia ſic non tollitur libertas humana, cùm decretum illius exercitium præviſum ut conditionem præſupponat 3. quia ſic decretum Dei non eſt inefficax, cùm abſolutè dicat: volo concurrere, ita tamen ut voluntas creata poſſit agere & non agere. Adeóque hoc decretum Dei pro objecto habet duas partes; unam poſitivam, & alteram negativam. Poſitiva ſunt actus boni & mali, & eorum productio vel actualis concurſus ad illos: negativa eſt negatio principii neceſſitantis vel prædeterminantis.

Obijcies 1. ante decretum prædefinitivum debet dari aliud decretum; ergo non da-

datur unicum decretum hactenus assigna-tum: antecedens probo, quia creatura non potest operari sine decreto omnipotentiam Dei applicante, sed ante decretum prædefinitivum per scientiam mediam videt Deus, quòd creatura in istis & istis circumstantiis esset operatura: ergo debet ibi dari prævium aliquod decretum ad operandum prærequisitum. R. concesso antecedente, distinguo consequens: non datur decretum unicum liberum nego, & debet adhuc præsupponi necessarium, concedo. Deus enim, dum per scientiam simplicis intelligentiæ videt rerum possibilitatem, utique videt, quòd actus bonus & malus non sit possibilis, nisi dependenter à sua omnipotentia per aliquod decretum applicata: ergo, ut Deus videre possit eventum operationis, debet obtulisse paratum concursum ad actus oppositos, nempe ad agendum, & non agendum.

Objicies 2. implicat, Deum habere actum abstractivum, & non omniscium: sed decretum Dei ante scientiam mediam positum esset actus abstractivus, vel non omniscius, quia adhuc non sciret eventum; ergo implicat. R. licet decretum illud disjunctivum, ut salvari possit libertas humana, sit formaliter abstractivum à determinata futuritione creaturæ, realiter tamen

cùm sit identificatum cum scientia media, non abstrahit. Sed de hoc viderint Theologi.

§. 6. Anderur series effectuum, & an Deus determinet ad individuum?

Dico 1. non datur series vel ordo intrinsecus, inter causas & effectus, h. e. certæ circumstantiæ loci, temporis, dispositionum, subjecti agentis &c. ex natura sua non sunt connexæ cum uno certo effectu individuali, naturaliter tantùm producendo: sed Deus potest ligno, v. g. ad ignem disposito sine violentia aut miraculo producere quodlibet aliud ignis individuum. Probatur 1. quia omnia individua, in una specie contenta, sunt eiusdem rationis, & æqualiter serviunt ad finem causæ efficientis, sive ad speciem propagandam: ergo causa efficiens tam parum est connexa, ex infinitis possibilibus, cum certo individuo, quàm materia prima cum determinata forma substantiali, omnibus & singulis formis æqualiter appetitum materiæ satiantibus. Probatur 2. quia nulla est necessitas talem seriem admittendi, & Deo magis est gloriosum, si sub ijsdem circumstantiis producere

possit

possit multa, quàm unicum tantùm individuum. Probatur 3. quia, si daretur series effectuum, tunc animæ rationales (idem dic de cæteris formis) inter se specie distinguerentur, sed hoc dici non potest: ergo. Sequela probatur: quia illa differunt specie, quæ ad sui productionem exigunt diversissimas circumstantias, dispositiones, accidentia, sed animæ rationales, si detur essentialis connexio, vel series rerum, ita se habent, h. e. exigunt diversas mundi plagas, diversa anni tempora, diversa corporis temperamēta, diversos parentes &c. ergo specie non minùs distinguuntur; quàm durationes & ubicationes, quæ sunt diversæ classis, vel quæ connectuntur cum diversis extremis. Probatur 4. quia si admittitur ordo intrinsecus vel series rerum, tunc anima in Europa, à Catholicis parentibus procreata, non potuisset æquè produci in India per Ethnicos genitores: imò isti characteres, vel vocabula, quos nunc scribo, non potuissent connaturaliter fieri, vel in alio loco à me fieri propter diversas loci saltem & temporis circumstantias; sed hoc videtur absurdum, & contra communem fidelium sensum, Deo gratias agentium, quod in locis & parentibus Catholicis sint nati: ergo non datur series rerum.

Dico 2. Deus vel causa prima determi-

nat causam secundamad individuum effectûs. Prob. 1. quia causa secũda, licet se determinet ad speciem effectûs, est tamen indifferens, an hoc potiùs, quàm illud ponatur individuum: causa enim creata cum effectu individuali non connectitur per se, neque per dispositiones, nec per circumstantias loci, & temporis, ut vidimus: ergo. Probatur 2. quia causa secunda individua clarè non cognoscit, & in illis omnino similibus non apparet specialis bonitas voluntatem alliciens, & semper infinita sunt possibilia: ergo rectiùs dicitur causas secundas tam liberas, quàm necessarias ad individuum actûs determinari à Deo. Probatur 3 quia Deus ad cooporandum applicat suam omnipotentiam per decretum absolutum, & determinatum in scientia media fundatûm, ut vidimus: ergo Deus determinat ad certum individuum.

Ob. 1. Ecclesiastici 7. dicitur: honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ, ne obliviscaris; memento, quoniam nisi per illos, natus non fuisses: ergo datur series vel connexio parentum cum filiis. Respondeo 1. textum S. scripturæ loqui de statu moderno, nempe juxta decretum Dei jam factum quia omnes filii debent honorare parentes, etiam illi; non juxta seriem (ut fatentur adversarij) sed miraculosè ex

cer-

certis parentibus nati. Respondeo 2. Textum sacræ scripturæ etiam verum esse, quoad temperamentum, & constitutionem hominis accidentalem, utique multùm à circumstantiis pendentem.

Ob. 2. ordo creaturarum per se est melior, quàm ordo per accidens, ergo causæ certis circumstantiis vestitæ per se, vel suâ naturâ connectuntur cum suis certis effectibus. Respondeo, distinguo antecedens: ordo per se, qui nulla affert incommoda, concedo; qui affert, nego antecedens & consequentiam; sicut enim adversarij rectè negant, dari seriem in causis liberis quoad speciem actûs, ne tollatur libertas, sic nos negamus dari ordinem intrinsecum. quoad individua, ne tanta individuorum detur diversitas, & constrictio omnipotentiæ divinæ, in certis circumstantiis ad unicum individuum alligatæ: deinde si datur series rerum in productione, tunc etiam dabitur in destructione, quod videtur absurdum, ergo.

Ob. 3. Causa secunda determinat ad speciem actûs v. g. Petrus eligit actum peccaminosum, quem Deus detestatur: ergo causa secunda etiam determinat ad individuum actûs; species enim & individuum, sive gradus metaphysici realiter non distinguuntur: ergo causa secunda determi-

nans ad ſpeciem, determinat ad individuũ, adeóque Deus malè dicitur determinare ad individuum. Reſpondeo, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens, cauſa ſecunda determinat ad individuum realiter. h. e. cum Deo realiter producit individuum, ſicut *D*eus cum cauſa ſecundâ realiter producit ſpeciem, concedo conſequentiam, cauſa ſecunda determinat formaliter h.e. cauſa ſecunda ex infinitis individuis prorſus æqualibus eligit unum præ alio nego conſequentiam: itaq; creatura ideo dicitur determinare ad ſpeciem, quia ex duobus actibus diverſæ rationis, eligit unum, altero relicto, v. g. malum relicto bono, econtrà ideo *D*eus determinare dicitur ad individuum, quia ex duobus vel pluribus actibus ejusdem naturæ aut rationis eligit actum A pro actu B, causâ ſecundâ quovis omnino ſimili individuo contentiſſimâ.

§. 7. *An Deus phyſicè influat in actum peccaminoſum, & an ſit cauſa peccati?*

Dico 1. Deus phyſicè influit, non tantùm in ſubſtratum malitiæ, vel prædicatum materiale peccati, ſed etiam in actũ vita-

vitalem physicum, intrinsecè & inseparabiliter malitiosum, v. g. in odium Dei, rectitudinis moralis essentialiter exclusivum Probatur 1. quia Deus (ut suprà vidimus) physicè influit in omnes effectus; ergo etiam in actum peccaminosum. Probatur 2. quia, si Deus nollet influere, tunc negato concursu divino tolleretur indifferentia & libertas, ut diximus suprà.

Dico 2. Deus non est auctor, vel talis causa peccati, cui malitia peccati possit imputari Sic Catholici omnes. Probatur 1. quia ille est auctor peccati, qui directè, per se, positivè, h. e. cum inclinatione, & propensione peccati influit, vel saltem non impedit, quando tenetur: sed *Deus* ita non influit: ergo *Deus* non est auctor peccati. Major videtur esse certa: minorem probo, quia *Deus* offerens concursum ad actus oppositos, inæqualiter tendit in bonum & malum, bonum enim desiderat, præcipit, æternùm præmiaturus: malum verò detestatur, prohibet, cum pœnæ comminatione: ergo Deus non influit positivè, directè & per se, ergo non est auctor peccati. Probatur 2. quia, si *Deus* creaturæ rationali velit ingens libertatis bonum concedere, ad se liberè & meritoriè amandum, tunc debet ut auctor naturæ concurrere ad actus, quoscunque etiam peccaminosos; aliàs

crea-

creatura non esset libera, *D*eo in actu secundo nolente concurrere; ergo *D*eus non est simpliciter & per se causa peccati, sed tantùm per accidens.

Objicies 1. Deus physicè influit in formalem malitiam peccati: ergo Deus æquè est causa, quàm homo. R. distinguo antecedens: Deus influit per se cum propensione innata, vel elicita, nego antecedens; influit per accidens cum aversione, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia sicut sacerdos Eucharistiam ministrans, occulto peccatori, quem privatâ notitiâ scit esse in malo statu, non peccat, (idem dic de mutuatario in gravi causa vel necessitate, mutuum ab usurario petente) sic Deo peccatum imputari non potest.

Ob 2. peccatum est summum malum, & *D*eus illud summè odit: ergo Deus non potest concurrere ad peccatum producendum, quia si concurrit, tunc magis odit negationem libertatis humanæ, quàm peccatum; Deus enim negationem libertatis creatæ determinatè non vult, quia se solo ponit libertatem creatam, negationem verò peccati tantùm vult disjunctivè, prout se creatura ad illam vel eius oppositum liberè determinaverit, ergo Deus magis odit negationem libertatis, quàm peccatum. Respondeo, concesso antecedente, nego consequen-

quentiam : probationem distinguo: Deus magis odit negationem libertatis creatæ, quàm peccatum determinatè ponendum, nego: quàm disjunctivè ponendum, concedo: Deus enim determinatè per se solum, & ex sua inclinatione nunquam potest ponere peccatum, potest tamen ponere, & ponit defacto negationem libertatis, v. g. in amentib⁹ & infantib⁹. Dein Deus potest ex libera creaturæ malitia peccatum permittere, quia Deus, ut S. Augustinus loquitur, maluit de malis bene facere, quàm mala non permittere.

Objicies 3. actus indifferenter volens concurrere ad bonum & malum, non est actus honestus: sed Deus habet talem actũ, quando in actu primo cum voluntate creata applicat suam omnipotentiam ad concursum disjunctivum: ergo Deus est auctor actûs non honesti, sive peccaminosi. Respondeo, distinguo maiorem: si sit actus æqualiter tendens in bonum & malum, vel si id fiat ex levitate & cum propensione, concedo maiorem: si inæqualiter, & ex officio ita fiat, ut concurrens optet actum bonum, & malum detestetur ac dissuadeat, nego maiorem, & sic distincta minore, nego consequentiam.

Objicies 4. non creatura, sed Deus determinat ad individuum: ergo Deus est

causa

causa peccati: Respondeo, distinguo antecedens, Deus determinat ad individuum decreto simpliciter antecedente & absoluto, nego antecedens: decreto dependente à scientia media, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia supposito, quòd voluntas creata se determinet ad odium Dei, non est specialis malitia in hoc potiùs odio, quàm illo, cùm sint eiusdem rationis; sicut enim suppositâ determinatione dandi aureum in eleemosynam, non est specialis honestas in eo, quòd eligam hunc potiùs aureum, quàm illum, illi & reliquis omnino similem, sic non est specialis malitia in eligendo hoc individuo, reliquis in suo nihilo relictis.

§. 8. *An Deus sive causa prima necessitetur ad optimum faciendum?*

DIco. Deus, nulla facta suppositione rei positæ, aut per decretum ponendæ, non necessitatur ad optimum faciendum. Probatur 1. quia *Deus* est infinitè perfectus, liber, & felix per seipsum sine omni creatura: ergo non necessitatur ad illam faciendam. Probatur 2. quia creatura quantumvis perfecta, Deum non facit perfectiorem; finitum

tum enim additum infinito nihil habet æstimabilitatis: præsertim, cùm omnis æstimabilitas entis creati, vel finiti eminenter & infinities contineatur in Deo, tanquam in ente infinito. Probatur 3. quia in Deo nulla est indigentia vel defectus, nec infert sibi violentiam, si nullam producat creaturam. Sic testatur communis sensus fidelium gratias agentium, quòd Deus se & hoc totum universum dignatus fuerit producere, ergo Deus non necessitatur ad hoc universum, sive ad optimum producendum. Probatur 4. quia in Deo, neque ratione obiecti materialis, ut vidimus, neq; ratione obiecti, vel motivi formalis datur necessitas; motivum enim formale in Deo, quoad velle & nolle est infinitas, quam utique habet sine creaturarum productione, quæ respectu Dei sunt obiectum materiale, quia creaturas non vult propter creaturas, vel perfectionem illarum, sed vult creaturas ob suam infinitam bonitatem: ergo Deus non necessitatur ad optimum producendum.

Obijcies 1. Deus per suam essentiam est perfectissimus artifex, & communicativus sui: ergo per essentiam, sive necessariò debet aliquid producere. Respondeo, distinguo antecedens: Deus per essentiam est artifex perfectissimus & communicativus sui, in

actu

actu primo, concedo; in actu secundo, nego antecedens & consequentiam.

Objcies 2. Deus iudicat, productionem optimi esse meliorem, & magis conducere ad suam gloriam, quàm illius negationem: ergo Deus non potest illam intermittere. Respondeo, licet Deus iudicet, productionem optimi meliorē esse, quàm negationem illius, non tamen judicat sibi meliorem; quia, ut dixi, bonitas creata non habet æstimabilitatem respectu boni infiniti.

Ob. 3. actus divini sunt essentialiter optimi: ergo tendunt in bonum optimum; sed melius est rem produci, quàm non produci; ergo actus divini essentialiter tendunt in productionem optimi. Respondeo, distinguo antecedens, actus divini sunt essentialiter optimi in se, & quoad obiectum formale, nempe quoad infinitam bonitatem, concedo, actus divini sunt essentialiter optimi ex objecto materiali, vel terminativo, sive à rebus creatis, quarum productionem Deus potest velle aut nolle, nego antecedens & consequentiam.

Ob. 4. Deus semper, & necessariò est summè laudabilis: sed si nihil produxit, non est summè laudabilis, quia nemo existit, qui ipsum possit laudare, ergo Deus debet aliquid producere. Respondeo, di-

stinguo

ſtinguo antecedens : Deus neceſſariò eſt ſummè laudabilis laudabilitate extrinſecâ ſive gratitudinis, hoc eſt, de eſſentia Dei eſt, ut creaturæ Deum laudent, illique gratias agant, nego antecedens, Deus neceſſariò eſt ſummè laudabilis laudabilitate intrinſecâ, hoc eſt, Deus, quia eſt infinitè perfectus, meretur omnem & infinitam laudem, quam habet perfectiſſimè à ſeipſo, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

Omnia ad majorem Dei gloriam.

INDEX.

DE CAVSA IN COM. MVNI.

§. 1. *Quid, & quotuplex sit causa in communi?* pag 1.

§. 2. *Quid sit virtus causæ, & an causa in actu primo constituatur per possibilitatem actionis?* 4

§. 3. *De existentia & causalitate causæ.* 7

§. 4. *De discrimine inter causam physicam & moralem; inter moralem & conditionem.* 10

§. 5. *Quid, & quotuplex sit priorias, & qualis ad causandū requiratur?* 12

§. 6. *Quid sit prius naturâ, & an aliquid tempore posterius possit esse prius naturâ?* 15

§. 7. *An aliquid possit seipsum producere, & an detur mutua prioritas naturæ?* 19

§. 8. *An detur, vel dari possit duplex actio, vel*

INDEX.

vel causa totalis, respectu eiusdem effectûs? 22

DE CAVSIS INTRINSECIS.

§. 1. *Quid sit causa intrinseca, quæ virtus & causalitas illius?* 26

§. 2. *Quid, & quotuplex sit causa materialis, & an detur?* 29

§. 3. *De causalitate causæ materialis extrinsicæ, & an actio eductiva & passio realiter distinguantur?* 33

§. 4. *De causa formali, & causalitate illius?* 36

§. 5. *An, & quomodo introductio formæ novæ sit prior compositio, & formâ expulsâ,* 38

DE CAVSA FINALI, ET EXEMPLARI.

§. 1. *Quid, & quotuplex sit finis?* 42

§. 2. *An finis sit vera causa, & quæ sit virtus illius?* 45

§. 3. *An cognitio sit, vel possit esse virtus causæ finalis?* 48

INDEX.

§. 4. De effectu cauſæ finalis, & cauſalitate illius. 51

§. 5. Quibus entibus agere competat propter finem? 54

§. 6. Quid, & quotuplex ſit cauſa exemplaris, quæ virtus, & cauſalitas illius? 57

DE CAVSA EFFICIENTE, IN COMMVNI ET CREATA.

§. 1. Quid ſit cauſa èfficiens, quid principalis & inſtrumentalis? 59

§. 2. Quid ſit virtus, & cauſalitas cauſæ efficientis? 63

§. 3. An detur cauſa efficiens creata, & an ſubſtantiæ ſint operativa? 65

§. 4. Quid accidens producere poſſit, & an ſubſtantiam? 68

§. 5. An cauſa creata habeat ſphæram activitatis, & an detur actio in diſtans? 73

DE

INDEX.

DE CAVSA EFFICIENTE INCREATA.

§. 1. *An causa prima, sive Deus naturaliter possit demonstrari?* 78

§. 2. *An, & quomodo Deus immediatè concurrat ad omnes effectus?* 84

§. 3. *An omnes creaturæ conserventur à Deo, & an elevari possint ad quidvis producendum, vel creandū?* 88

§. 4. *An Deus causas secundas physicè prædeterminet ad operandum?* 92

§. 5. *Per quale decretum, Dei applicetur omnipotentia ad effectus producendos?* 98

§. 6. *An detur series effectuum, & an Deus determinet ad individuū actus?* 104

§. 7. *An Deus physicè influat in actum peccaminosum, & an sit causa peccati?* 108

§. 8. *An Deus, sive causa prima necessitetur ad oprimum faciendum?* 112

ERRA-

ERRATA.

Pag. 1. lin. 8. lege priora. p. 2. l. 24. efficiens. p. 3. l. 23. neceſſariam. p. 7. l. 3. pro quod lege quoad, & l. 11. poſſibilitas. p. 32. l. 4. creanda. p. 35. l. 13. unione. p. 40. l. 11. ergo. p. 49. l. 3. præſentatio boni. p. 66. l. 18. lege, ut cauſa univoca, vel eminenter, ut æquivoca,

ERRATA.

Pag. 1. lin. 8. lege priora. p. 2. l. 24. efficiens. p. 3. l. 23. neceſſariam. p. 7. l. 3. pro quod lege quoad, & l. 11. poſſibilitas. p. 32. l. 4. creanda. p. 35. l. 13. unione. p. 40. l. 11. ergo. p. 49. l. 3. repræſentatio boni. p. 66. l. 18. lege, ut cauſa univoca, vel eminenter, ut æquivoca,

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Feurstain, Andreas

Philosophia de causis in communi et in specie

Friburgum Brisgoiae [1675]
Diss. 1113#Beibd.4
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10843674-1